

praesentare obligetur. 2) Quod patronus laicus intra quatuor menses re adhuc integra, mentem suam mutare, et successive pluribus praesentam dare possit, quo jure ecclesiasticus patronus caret. 3) quod laicus patronus praesentando indignum, jure praesentationis non privetur, dummodo terminus quatuor mensium non exspiraverit, ecclesiasticus vero praesentans indignum, jus praesentationis pro illo casu amittat.*)

§ 40. De Juribus Patronorum.

Jura Patronorum, sunt alia honorifica, alia utilia, alia onerosa. Jura honorifica sunt: 1) praesentationis ad beneficium vacans. 2) Patronus habet praecedentiam in ecclesia, cujus patronus est, et quidem non tantum in sessionibus, aut conventibus occasione visitationis canonicae Episcopalis, aut Commissarii ejus, verum etiam in publicis supplicationibus. 3) Patronus defunctus in cripta Ecclesiae si existat sepelitur. — Utile jus Patroni est, quod casibus adversis ad incitas redacto e proventibus ecclesiae superfluis alimentatio competat. Onerosa denique jura Patroni sunt: ecclesiam et jura ejus defendendi. et procuratorem cum consensu Episcopi eo scopo conducendi, seduloque invigilandi ne bona ecclesiae dissipentur, aut male administrantur; ideo habet jus praesentiae in examine et approbatione rationum ecclesiae, non potest tamen e redditibus ecclesiae quidquam assignare, aut eos solus administrare; denique Patroni officium est sarta tecta Ecclesiae et Parochiae conservare. Quae omnia Patroni jura his versibus exprimuntur:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque; Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.

*) Vide Canonistas.

CAPUT IV.

DE MODIS OBTINENDI BENEFICIA MAJORA, SEU DIGNITATES ECCLESIASTICAS.

§ 41. Dignitates Ecclesiasticae.

Suprema in Ecclesia dignitas est Pontificatus, post hunc Cardinalitia, dein Patriarchica, Metropolitana et Episcopalis. Dignitatibus adnumeratur etiam Canonicatus, Vicarii item Episcopalis, et Capitularis munus, sicut et Proto-presbyteratus, Archimandria et Hegumenatus.

§ 42. De electione Romani Pontificis.

Supremum in Ecclesia christiana officium et dignitas est Pontificatus. Summus Pontifex primis temporibus eligebatur modo per Apostolos observato, videlicet convenientes in unum vicini Episcopi cum Clero civitatis Romanae et populo praemissa divini Spiritus invocatione, qui dignissimus communi sensu videbatur, in successorem sancti Petri per acclamationem proclamabatur. Concilium quoque Romanum 964-to celebratum Can. 10 statuit: „Constituendus Pontifex convenientibus Episcopis et universo Clero eligatur, expetente Senatu et populo qui ordinandus est.“ Posterioribus temporibus autem Clerus et populus sensim ab electione Pontificis ob factiones admissas excludi coepit, et instituto Collegio Cardinalium, qui Synodum perpetuam Episcoporum penes

Pontificem constituerent, vigore Decreti Pontificis Nicolai II. electio Pontificis ad Cardinalium Collegium devoluta est. Eligitur autem Pontifex per scrutinium, seu votatione secreta a Cardinalibus corporaliter in loco electionis (conclavi dicto) praesentibus, et quidem absoluta majoritate duabus tertiis praesentium votorum.

§ 43. Modus obtinendi dignitatem Patriarchalem.

Modus eligendi Patriarcham observabatur canonicus, videlicet, Metropolitanae dioecesis patriarchalis convenientes in unum eligebant Patriarcham, qui recognitionem electionis suae a summo Pontifice qua Ecclesiae universalis capite impetrabat; qui, si electio factiosa fuisset, eandem reprobabat, novamque electionem ordinabat, vel indigne depositi restitutionem decrevit, prout factum est cum electione Patriarchae Photii, et restitutione Ignatii. Postquam autem Patriarchae orientalium ditionum se ab unione et communiione sanctae matris Ecclesiae Romanae et Apostolica Sede Beati Petri Apostolorum Principis sejunxissent, titulus sedium patriarchalium Orientis latinis Episcopis, aut graecis catholicis conferri coepit.

§ 44. De electione Metropolitanarum.

Quoad Metropolitanarum electionem Synodus Sardicensis Canone VI. decrevit: „Non tantum per Episcopos provinciae metropolitanae, sed propter majorem dignitatem, etiam ex vicina provincia ad electionem Metropolitanae accersiri Episcopos.

§ 45. De electione Episcoporum.

Episcopi sunt eligendi juxta Canonem IV. Concilii Nicaeni I-i per Episcopos provinciae, absentibus scripto in electionem consentientibus, electionem Metropolitana confirmante. Concilium autem Antiochenum Canone XXIII. decrevit: „Non licet Episcopo alium pro se successorem constituere, etiam si sit in fine vitae; siquid autem fiat ejusmodi irrita sit constitutio, servetur autem ritus ecclesiasticus, qui dicit, non aliter fieri debere Episcopum quam cum Synodo et iudicio Episcoporum, qui post defuncti dormitionem potestatem habent dignum provehendi.“

§ 46. Nominatio Regia.

Augustissimus Imperator Austriae et Apostolicus Hungariae Rex privilegio gaudet praesentandi seu nominandi Episcopos ad Apostolicam Sedem pro eorumdem canonica institutione, prout desumitur ex paragrapho XIX. Conventionis anno 1855. inter Apostolicam sedem et Augustissimum Imperatorem initae. Sed praestat super hac re Sanctissimi Pontificis Pii Papae IX. saltem aliqua verba, quibus hanc conventionem firmavit, referre. = Divinae, inquit Pontifex, miserationis argumentum est, quod amplissimi Imperii Austriaci ditioni eum Principem novissime praeponerit, in quo summa sunt omnia, et cui hoc est maxime persvasum sic a Deo fuisse mortalia composita et distributa, ut inter se copularentur Sacerdotium et Imperium ad humani generis incolumitatem = Et revera religiosa atque ecclesiastica ejusdem inclyti Imperii gravissima negotia apostolica virtute

Summi Pontificis atque insigni pietate et religione Augustissimi Imperatoris per conventionem ut supra, initam feliciter composita conspiciuntur. Ad privilegium vero, quod adtinet nominandi Episcopos ac dignitates Ecclesiarum cathedralium sequentia statuuntur. Artic. XIX. „Majestas sua Caesarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii Apostolici a Serenissimis Antecessoribus suis ad Ipsam devoluti a Sancta Sede canonice instituendos praesentat seu nominat, imposterum quoque Antistitum imprimis comprovincialium consilio utetur.“ Artic. XXII.: In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suffraganeisque ecclesiis Sanctitas sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituatur. Ad ceteras dignitates et praebendas canonicas Majestas sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel juri patronatus legitime adquisito subjacent. Jus Episcopos imprimis Patriarcham nominandi etiam Imperatores Constantinopolitani exercuerunt, et etiam Imperator Russorum, exercet. In Valachia autem et Moldavia Archi-Episcopi et Episcopi per Conventum nationalem eliguntur, ut adeo forma electionis canonica non amplius vigeat, nisi in quibusdam provinciis titulo privilegii vel de consuetudine. Institutio tamen electi canonica seu praeconisatio, sine qua nemo in Episcopum consecrari, et per quam missionem ad gregem electus obtinet, ad inalienabilia supremi Ecclesiae Capitis summi Pontificis Romani jura spectat.

S E C T I O II.

DE JURE RERUM ECCLESIASTICARUM.

CAPUT I.

D E R E B U S S A C R I S .

§ 47. Notio Rerum Sacrarum.

Per res sacras intelliguntur res spirituales, prout sunt omnes actus cultus divini externi, professio fidei, sacra Liturgia, et Sacramenta, quae in se et per se sacra sunt, sunt autem aliae res sacrae, quae in se et per se sacrae non sunt, sed ritu sacro ad scopum spiritualem consecrantur, ideo et sacratae compellantur, qualia sunt tempora et loca sacrata, de quibus Canones Ecclesiae praescribunt, et de quibus distinctis capitibus tractandum est.

§ 48. De Symbolo Fidei.

Per Symbolum fidei intelligimus complexum articulorum fidei Christianae, qualia plura existunt et quidem: 1) Symbolum Apostolorum, 2) Symbolum Nicaenum, 3) Nicaeno-Constantinopolitanum, quod apertius enunciat Divinitatem Spiritus Sancti contra haeresim Macedonii, 4) Symbolum S. Athanasii.

Praeter haec Symbola existunt et aliae formulae professionis fidei, Articulos fidei clarius explicantes, talis est formula professionis fidei Episcoporum orientaliu occasione consecrationis eliciendae. Item Con-

cilii Lateranensis IV. qua uberius declaratur *Mysterium sanctissimae Trinitatis*, imprimis quod *Spiritus Sanctus* tam a *Patre* quam a *Filio* procedat. Occurrit haec formula in capite seu ab initio Libri 1-i *Decretalium* Cap. II.; insuper praeter *Tridentinam* a *Pio IV.* Pontifice contra erroneas *Protestantium* doctrinas in *Bulla* quae incipit: „*Injunctum nobis*“ 1564. promulgatam, formula per Pontifices *Gregorium XIII.* et *Urbanum VIII.* pro *Graeco-Catholicis* in sensu decisionum *Concilii Florentini* praescripta. In sacris tamen functionibus recitatur *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum*.

§ 49. De Liturgia Ecclesiae Orientalis.

Liturgia seu officium divinum sensu latiori est definitus cultum divinum externum obeundi modus. Huc igitur spectant omnes actus et ritus, orationes et preces, quibus Ecclesia ad excitandum firmandum, augendumque cultum Dei internum utitur. Unde etiam patescit jus constituendi, atque curandi Liturgiam, potestatis ecclesiasticae partem esse praecipuam. Sensu autem stricto Liturgia orientalibus est Ritus celebrandi ipsum divinum altaris sacrificium, quod cultus divini principalem partem efficit. Ritus liturgici in arctissima cum essentialibus fidei connexionem constituti sunt, horum enim subsidio fidei morumque praecepta traduntur, sacramenta ministrantur, ipsaque religionis substantia sustinetur. Liturgia, uti in actibus et ritibus tacitam, ita in orationibus et precibus expressam fidei professionem exhibet, proinde liquet hos ritus, in eo quod fidei dogmata respiciunt, constantes nec variabiles esse debere.

§ 50. Concordantia Liturgiae Graecae cum Latina.

Omnes Liturgiae orientalium et occidentalium tantopere inter se concordant, ut communem illarum fontem apostolicam nempe traditionem quilibet agnoscere debeat. Omnes a Sacerdotibus sacram *Eucharistiam* confici praescribunt, qui sacra vasa, eaque pretiosa, et vestes itidem sacras adhibeant, et in altari celebrent. Omnes exhibent praeparatorias orationes, et caerimonias, scripturarum lectiones, psalmorum cantus, orationes pro vivis et defunctis, memoriam sanctorum, osculum pacis, praefationem, orationes pro donorum oblatione, symbolum fidei, recitationem historiae institutionis, *Eucharistiae*, cum *Christi* verbis, quae vice *Ejus* a *Sacerdote* proferuntur, invocationem *Spiritus Sancti*, orationem dominicam, fractionem *Hostiae*, atque ejusdem communionem, ac confessionem corporis, et sanguinis ejusdem *Domini nostri Jesu Christi*; rituumque diversitas, quae in iis inest, tota est circa ritus, qui mere caerimoniales dicuntur, et circa formulas et ordinem precum, quarum tamen sensus cum latinis plerumque convenit; quae proinde institutam a *Patribus* perficiendae *Eucharistiae* normam non variant. Quae quidem concordantia *Liturgiarum* quemadmodum unitatis *Ecclesiae Christi* *Symbolum* est, ita monet quemlibet *Christi* discipulum, ut corde et animo, eadem indivisa dilectione, cujus sacra *Liturgia*, qua dilectionis *Christi* pignus, perpetuum unionis vinculum exhibet, concordet sint, monito *S. Pauli* obsequentes, ut id ipsum dicant omnes, nec sint inter eos *Schismata*, sed perfecti in eodem sensu et eadem scientia.

§ 51. De Libris Ritualibus Ecclesiae Orientalis.

Libri Ecclesiae Orientalis sunt praeter Scripturas sacras, alii Liturgici pro celebratione SS. Eucharistiae, alii Euchologici pro administratione sacramentorum et aliis functionibus sacris; item libri Choraes, Horarium, latinis Breviarium, Minea (pro cultu sanctorum), Octoichion, octo tonorum pro celebranda resurrectione Domini diebus dominicis, Triodion, officium quadragesimale, Liber „Officium hebdomadae sanctae“, Pentecostarion, complectens officium paschale usque diem Pentecostes. Hi libri, cum a sanctis catholicis Patribus promanaverint, catholici omnino sunt, tota proinde Episcoporum circa eos sollicitudo in eo consistit, ut incorrupti conserventur, et non modo nihil interpolari admittant, sed nec ullas additiones imprimis cultus sanctorum, quos Catholica orientalis Ecclesia non recipit, tolerant. Quocirca Benedictus XIV. Pontifex constitutione: Etsi pastoralis inquit: „Quia in ecclesiasticis graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae graecae puritatem fraude potissimum ac dolo schismaticorum corruptam esse orthodoxi dolent, Ordinariorum locorum vigilantiam excitamus, ut nonnisi librorum probatorum usum admittant.

§ 52. De Lingva Liturgica.

Proprium est Ecclesiae Orientalis, ut in sacris lingva nationali utatur, ita praeter lingvam graecam, lingvis slavica, romanica*), arabica, siriaca, armoe-

*) Gens Valachica (romena vel daco-romana) scribit Po-

nica et coptica in sacris apud respectivos populos ad-rubszky pag. 855. 20. in Transsylvania a vicini imperii byzantini Sacerdotibus ad fidem Christi perducta, cum ritu orientali lingvam quoque graecam recepit. Post Concilium Florentinum, in quo Metropolita Moldaviae quoque sacram unionem amplexus est, quidam Monachi Rasciani et Moscovitae cum schismate lingvam quoque rascianam in divinis Valachis Transsylvaniae obruserunt (v. Demetrii Cantemir. Principis: „Historia Moldaviae.“) Ea lingva usi fuisse videntur Valachi in sacris usque ad tempora Georgii Rákóczy I., Transsylvaniae Principis, qui, Calvinista, ut Valachos ad amplectendam confessionem helveticam alliceret, edito 10. Oct. 1643. decreto mandavit Archi-Episcopo et Sacerdotibus Valachorum, ne amplius audeant alia lingva quam Valachica sacra celebrare et aliquas functiones sacras obire. Romani Transsylvaniae lingvam quidem maternam adoptarunt, a ritu tamen suo nunquam defecerunt. Postulato eorum quod expresserant, dum ipsorum Archi-Episcopus et magna pars Cleri ac populi agente cum primis Regni Hungariae Primate ad unionem Catholicam cum Ecclesia Romana redire constituerat, et reapse d. 21. Martii 1697. redierat, ut nempe ritum orientalem et lingvam maternam porro quoque in sacris adhibere queant, delatum est. Valachi tacito consensu Pontificum modo quoque lingva sua romana in sacris utuntur.

— Olim Valachi in scribendo usi sunt characteribus latinis, at vero Theoctistus Metropolita Moldaviae, antea Marci Ephesini Diaconus, persvaserat Alexandro Principi (Voda) Moldaviae, ut eliminet litteras latinas et suscipiat cyrillicas, (vide Petri Major, Historia de initiis Valachorum in Dacia 1812.). Formae litterarum daco-romanarum (civilium) hodiernarum auctor est quidam Russus, qui e scribendi ratione russica rejiciendo aliquas literas cyrillicas introduxit alias latinas. Libri sacri Romanorum, uti: rituales, missalia etc. nisi successive sunt versi in lingvam valachicam, et cum versionum auctores plerumque in monasteriis vixerint, nec nomina eorum, nisi forte paucorum recentiorum, sunt nota. Editi fuerunt typis etiam cura Episcoporum Fogarasiensium, postquam Blasii circa a. 1760. typographia est erecta.

hibetur et etiam sacra Liturgia celebratur. Plurimum autem propagatae sunt consuetudines Ecclesiae Constantinopolitanae, librique Ecclesiae hujus rituales in memoratas lingvas versi sunt. Sacra Sedes Apostolica, quae de cetero gravibus e rationibus linguae popularis usum in mysteriorum celebratione, eo ipso quod mysteria sint, non admittit; Orientalem Ecclesiam in suo usu relate ad propriam lingvam ritua-lem permittit.

§ 53. De Sacrificio Altaris.

Praecipuam partem cultus divini efficit sacra Liturgia seu sacrificium altaris; celebratur autem illud semel in die super eodem altari. Quam proprietatem ritus Graeci S. Sedes Apostolica conservatam esse voluit; cum enim Graeco-Melchitae a Sacra Sede postularent, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, et multiplicibus fidelium oblationibus, praedictum ritum antiquitate commendatum mutari permetteret, et in Ecclesiis Libani et Antilibani plures Liturgias eodem die super eodem altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas, Benedictus XIV. Constitutione: „Demandatam“ petitioni minime indulgendum censuit. Permisit tamen juxta Decretum latum 30. Martii 1729-i¹⁾ ut alia altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint²⁾. Si autem altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini non respondeat, liceat plu-

¹⁾ Bullarium S. Congregat. de propag. fide Append. II. pag. 105.

²⁾ Concessio haec particularis pro illis tantum valet, quibus concessa est, nec aliis personis vel locis potest suffragari absque speciali S. Sedis Apostolicae permissione.

ribus Sacerdotibus ubi ejusmodi consuetudo viget, super eodem altari, una cum Episcopo vel alio Sacerdote sacrificium peragente concelebrare; ita tamen ut sacris vestibus more celebrantium induti unusquisque totam Liturgiam integre recitet, et verba consecrationis proferat perinde, ac si sacro sanctum sacrificium singulatim conficerent. Hujusmodi autem Sacrificium singuli Sacerdotes juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. Quodsi secundae et posteriores oblationes pro ejusdem Sacrificii applicatione superaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriori loco offerentes, de aliis oblationibus ad eundem finem acceptis; et nisi iidem offerentes unica Liturgiae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico Sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem, qui pro Sacrificio obtulerant, nunquam a Sacerdotibus impletum iri per solam adjectionem particularum, et commemorationem, quae in panis praeparatione ante Missae Sacrificium fieri solet; cum omnino necessaria sit, integra celebratio, nisi de eorundem offerentium voluntate aliter fiat.

§ 54. De Liturgiis privatis.

Benedictus XIV. in Epistola Encyclica ad Missionarios orientales: „Nonnulli inquit, occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quae ab uno Sacerdote celebrantur, in orientali Ecclesia locus esse possit, cum in graecis templis unicum altare existat, unicum ad illud Missae Sacrificium offeratur, et Sacerdotes cum Episcopo celebrent, aut

cum Sacerdote, qui primi Sacerdotis munere fungitur. At privatae etiam Missae usus colligitur juxta orientalis Ecclesiae disciplinam ex Canone XXXI. Concilii Trullani, ad quem Canonem notat Interpres Aristenus: „Quinquagesimus quidem octavus Synodi Laodicensis Canon sacrum Ministerium in Oratorio, quod intra domum est, ab Episcopo fieri aut a Presbytero vetat. At praesens Canon illud evertit, et mandat: Episcopo loci ita volente, Sacerdotes in Oratoriis, quae sunt intra domum, sacra facere.“

In commodum vero Sacerdotum, qui privatum Missae Sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum altare, unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur, Graeci constituerunt Paraclesias; sunt autem hae Oratoria quaedam Ecclesiae contigua, in quibus altare inest, in quo Sacerdos celebret, qui in alio, ubi alter celebraverit, sacrum facere nequit. Possunt autem Graeci in latino altari, si proprium desit, et vicissim Latini in graeco altari celebrare, quin exinde rituum permixtio sequatur, quae vetita est; sed urbanitatis officia ita exercentur, vel potius praecepta implentur, aequitatem cujusdam juris exposcentia, ut non habenti opportunum locum, ad ea peragenda quae jure aliquo praestare jubetur, locus ipse lubenti animo concedatur, concludit idem summus Pontifex in provocata Encyclica. Idem Benedictus XIV. anno 1751. constitutione quae incipit: „Imposito Nobis,“ justis de causis concessit Sacerdotibus latinis, in Russia polonica commorantibus, ut in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, super eorum Antimensis ritu tamen latino celebrare possint. Clemens autem VIII. 1602. permisit, ut Sacerdotes graeci ritus in casu necessitatis, in Ecclesiis

catholicorum ritus latini, altaribus, calicibus, et vestibus sacris eorundem catholicorum uti, et Liturgiam celebrare possint, cum licentia Rectorum ipsarum Ecclesiarum.“

§ 55. De celebratione Liturgiae Praesanctificatorum.

In Ecclesia Orientali tota quadragesima praeter Sabbatum et Dominicum diem, item diem magnum Veneris et Festum Annunciatienis B. M. V. Missa non celebratur, sed solum Praesanctificatorum, qualem Ecclesia latina, die magno Veneris, idest feria sexta majoris hebdomadae celebrare solet. Patriarcha autem Antiochenus Graeco-Melchita petiit ab Apostolica Sede ut in praedictis Quadragesimae feriis, Sacerdotibus suis integram Liturgiam celebrandi facultatem concederet. Sed Benedictus XIV. Pontifex hanc petitionem rejecit, mandavitque, his de rebus veteres Ecclesiae graecae rubricas servari, eorumque executionem Sacerdotibus inculcari.

§ 56. Recitatio horarum Canoniarum.

Ad cultum divinum spectant etiam horae Canonicae, seu officium divinum ex psalmis, hymnis, variisque precibus et lectionibus eum in finem compositum, ut Clerici illud, ceu peculiarem cultus divini partem, in Ecclesia cui adscripti sunt, tum recitando, tum canendo certis quotidie horis peragerent. Ad opinionem autem illorum refutandam, qui adstruunt, Clericos orientalis ritus non obligari horas Canonicas extra chorum persolvere, interrogatione hac de re a Maronitarum Patriarcha apud S. Sedem Apostolicam

facta, Gregorius XIII. Pontifex respondit: Tenentur etiam omnes ordinati ad horas Canonicas, saltem illi nationi Maronitarum consvetas, non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio. (Vide Pravila C. 66. et 72.)

§ 57. De Cantu Ecclesiae Orientalis.

Ea est proprietas Ecclesiae Orientalis, ut Cantum instrumentalem in Ecclesia non admittat; Cantus in Ecclesia Orientali in regula melodicus est, et unisonus, ut singula verba clarius intelligantur, et eorum sensus ab auditoribus assequatur, ut dum intellectus sensu cantus occupatur, melodia animus ad pietatem excitetur. Per exceptionem Rutheni cantum proprium harmonicum habent, et in parte etiam figuralem, quem etiam Russica Ecclesia adoptavit.

CAPUT II.

DE SACRAMENTIS.

§ 58. Prologus.

De Sacramentis late disserunt Theologi; Canonistae vero communiter ea tantum tradunt, quae vel Canonicam disciplinam, vel externam spectant rationem administrandi Sacramenta. Quamobrem pro nostro instituto breviter proponere intendimus ac discutere disciplinam, quam praesertim SS. Canones, Synodalia Decreta, ac Ritualia in eorum administratione servandam praescribunt.

§ 59. De Sacramento Baptismi, Materia ejus.

Materia Baptismi ex institutione Christi est aqua naturalis; adhibetur autem aqua tam graeco, quam latino ritu de regula benedicta; quae benedictio aquae apud Graecos fit in Vigilia et festo Epiphaniae. Valida autem est materia aqua etiam non benedicta.

Juxta Goarium adhibent Graeci etiam aquam calidam vel tepidam in Baptismo; ut constat ex Canone Synodi provincialis sub Germano Amathuntis Archiepiscopo celebratae, quo statuitur: „In aqua frigida baptizare non oportet, sed in calida, manifestante nempe calida aqua Baptismi fervorem; si autem necessitas urgeat, fiat etiam in frigida.“ Qui ita agunt reprehendi quidem non possunt; si autem quis credat aquam calidam uberiorem gratiam conferre, aut non recte aqua frigida Baptismum administrari, superstitio est.

§ 60. De Modo adhibendi Materiam Baptismi.

Quoad modum adhibendi materiam Baptismi divina institutio expressa nulla existit; proinde, quocunque modo abluatur homo in Baptismo, et num semel, vel pluries abluatur, validus est Baptismus. Ecclesiasticae tamen constitutiones exstant, quibus modus adhibendi materiam Baptismi praescriptus est. Et quidem dubitandum non est, a tempore Apostolorum usque ad saeculum XIII. ablutionem in Baptismo ordinarie per immersionem, qua denotaretur sepultura Christi, viguisse, atque per trinam immersionem ad indicandos tres dies, quibus Christus in se-

pulchro jacebat. Qui huic modo baptisandi adhaerent, prout Constantinopolitani, provocant ad S. Paulum Apostolum in Epistola ad Romanos Cap. VI. v. 4. dicentem: „Consepulti enim sumus per Baptismum cum illo in mortem“, item ad Colossenses Cap. II. v. 12.: „Consepulti ei in Baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei“, et asserunt, ad validum Baptismum SS. Trinitatis invocationem non sufficere, cum praeter fidem in sanctissimam Trinitatem requiratur in regenerandis etiam fides in mortem Domini, quae in Baptismo per trinam immersionem perinde exprimi debet, sicut fides in sanctissimam Trinitatem. Verum si secus collatum Baptisma rejiciant, prout Constantinopolitani Baptisma Latinorum non per trinam immersionem collatum rejiciunt, errant; nec enim immersio sola, sed ablutio, nec trina ablutio, sed solum ablutio per Christum praescripta est: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua, ait Christus, item, baptisantes, idest abluentes eos, qui crediderint in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.“ Sed Constantinopolitani Latinos non immergentes damnantes nec in sacris Canonibus invenire possunt suae sententiae de absoluta immersionis in Baptismo necessitate praesidium; Canon enim L. SS. Apostolorum statuit: „Siquis non tria unius Mysterii baptismata perfecit, sed unum baptismum, quod datur in mortem Domini, deponatur, non enim dixit Dominus in mortem meam baptisate.“ Et Canone VII. Concilii Constantinopolitani I.; „Eunomiani autem, qui una mersione baptisant, rebaptisandi praecipuntur; adeoque ex his Canonibus nihil in praesidium dictae sententiae allegari potest, priore enim Canone refutantur, qui in mortem Christi baptisant semel immergendo, sed

invocationem SS. Trinitatis omittendo, quam non necessariam esse, sed solo facto unius immersionis in denotationem mortis Christi semel sepulchro immersi Baptisma perfectum esse credebant. De Eunomianis autem, aperte Theodoretus Libro 4. de Haereticorum fabulis Cap. 3. testimonium perhibet dicens: „Eunomius sancti etiam Baptismatis legem olim a Domino et Apostolis traditam evertit, et contrariam sanxit, non oportere inquit ter illum immergere, qui baptisatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptisare in Christi mortem.“ Ideo, ipsi quoque Photianorum multi non tantum qui in Imperio Austriaco sunt, sed et in Graecia non per immersionem, sed per infusionem, quem baptisandi modum nec Pidalion damnat, baptisant; id testatur Rhodinus Graecus, in Graecia diu versatus, in Synopsi sua Doctrinae Christianae de Baptismo scribens: „Ter aquam super eum, qui baptisatur infundimus, ut S. Trinitatem, cujus nomine baptisamur, declarem.“

Non defuerunt autem etiam inter Latinos Theologos, inter quos Coresius, ad quem in Pidalion, Nota ad Canonem L. Apostolorum provocant Constantinopolitani, qui in Graecorum sententiam de absoluta necessitate trinae immersionis in Baptismo abierat, verum contra hunc latinum Theologum, adferimus Graecum Theologum Prodromum, qui in interpretatione ad Canonem L. Apostolorum, in hunc modum Coresii stultitiam damnat: „Sunt, inquit, qui adeo necessarias immersiones existiment, ut dicant non conferri Baptismum non immerso illo, qui venit ad baptisterium. Errant hi tamen, quando id aperte Canon minime jubet. Is immersionem non ad constitutionem Sacramenti decernit, sed ad ejusdem per-

fectionem, ut triduo sepultum Christi corpus commemoret. Fit enim verum Baptisma per aquae consecratae infusionem, et quocumque modo hominem contingat unda sacra, recitans divina verba cum invocatione S. Triadis cum baptisabis. Hoc autem scito perutile, ne cui baptismatis in necessitate desit auxilium. Et docendae hoc ipsum obstetrices, ut in nativitate periclitantem puellum norint salutaribus undis intingere, quocumque in membro prodeunte, illum tangentes aqua, cum Trinitatis verbis. Et siquidem caput contingant aut pectus, et sinum, non iteratur baptismus, sed in Ecclesia quae defuere supplentur ad perfectionem. Quodsi tetigerit aliud aliquod membrum, superstes infans iterum baptisandus, quo sit securior; nam anceps est Sacramentum¹⁾. Refert Papadopoli (praenot, Myxtag. respons. 5. Sess. 3.) hanc Prodromi sententiam, imo ipsius verba approbasse Patriarchas plures, inter quos recenset Methodium, Nicephorum, et Veccum Catholicos; item Nicolaum Muzalonem, Georgium Xiphilinum, et Philotheum Palamitam Schismaticos; eademque recepisse Photium, et post eum Balsamonem, Aristenum, Leonem Numodotem, et Georgium Syncellum.

Nota: Ubi viget adhuc consuetudo baptisandi per trinam immersionem observanda est. Ita vero trina sive immersio, sive infusio fieri debet, ut ad uniuscujusque personae divinae invocationem baptisandus immergatur, aut ei aqua infundatur²⁾.

¹⁾ Praestare, ut iteretur Baptismus dum non in Capite, sed in aliqua alia corporis parte aqua cadat, velut in dubio in re gravissima. (Consul. Bened. XIV. de Synod. dioec. Libr. VII. Cap. V. et VI.)

²⁾ Vide Antoin. de Sacris Ritibus pag. 101. et Scholion Auctoris ad Canon. I. Apost.

§ 61. De Forma Baptismi.

Orientalium Forma Baptismi haec est: „Baptisatur servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,“ cujus formae mentionem facit Chrysostomus, eaque reperitur in plerisque Euchologiis, quam etiam Florentina synodus approbavit. Discrimen inter Graecorum, et Latinorum formam ex eo nonnulli ortum esse arbitrantur, quod Orientales Patres, ut Novatianis, qui magna in copia in Oriente versabantur, occasionem praeriperent docendi, fidem ministri necessariam esse ad baptismi valorem. prudenti oeconomia constituerint, ut ministri baptisantes non amplius dicerent: Ego te baptiso, sed baptisatur,*⁾ quae forma ex sequentibus Christi verbis per aliquos deducitur: baptisabimini non post multos hos dies. Latini autem suam formam: Ego te baptiso etc. ex Christi verbis: „Euntes baptisate omnes gentes“ deducunt.

§ 62. De Baptismi Ministro.

Photianorum nonnulli in ea versantur haeresi inquit Arcudius, ut credant nefas omnino esse laicis hominibus baptisare, etiamsi in extrema hominis, aut infantis necessitate. Haec sententia etiam in Codice canonum graeco Pidalion, Nota ad Canonem 47. Apostolorum defenditur sequentibus argumentis: 1) Juxta Canonem hunc Apostolorum soli Episcopi et Presbyteri habent potestatem baptisandi, 2) Juxta Ca-

^{*)} Arcudius lib. 1. C. 3. et C. 8.

nonem I. Basili magni qui dicit: „a laicis baptisatos baptisamus, quoniam quod fit in casu periculi, et in casu extraordinario, non est regula in Ecclesia.“ 3) Quoniam et Dionysius Alexandrinus rebaptisavit Judaeum, in casu necessitatis per laicum baptisatum. 4) Quodsi laici possent baptisare, possent etiam sacro chrismate ungere seu confirmare. Attamen (prosequitur Pidalion) „est opinio aliquorum, quod proles laicorum in periculo baptisatae, si morerentur, inter orthodoxos commemorandae sint, qua tales, quae constituantur in spe obtinendi divinam misericordiam. Qui autem extra casum periculi baptisati sunt a laicis, vel ementito Presbytero, non commemorentur mortui inter fideles, quia baptisati non sunt.“

Ad quae respondemus 1) citatus Canon Apostolorum loquitur de Episcopis et Presbyteris qua ordinariis Baptismi ministris, eo quod cum Baptismo etiam unctio Chrismatis conjungi soleat, quae ab aliis fieri nequit; ipsum vero Baptisma etiam a Diaconis collatum esse probat exemplum Philippi Diaconi Act. Apost. Cap VIII. et continua praxis Ecclesiae. Ad 2) et 3) canon citatus S. Basili, et factum Dionysii Alexandrini, refertur ad eos, qui ab haeresi transeunt ad Ecclesiam, de quorum baptismo juxta modum et fidem Ecclesiae collato dubium est. Ad 4) si laicus posset baptisare, posset et confirmare, negatur consequentia, namque Actuum Apostolorum Capite VIII. v. 15. et 16. exemplum exhibetur baptismi et confirmationis non ad semel collati; postmodum per Apostolos eatenus edoctos confirmati sunt; hinc quemadmodum Diaconi baptisare possunt, non item confirmare, ita de laicis dicendum est. Cum autem Graeci parvulorum in casu necessitatis per laicos ba-

ptisatorum baptisma acceptant, et sic baptisatos inter fideles cooptant, et tamen laicos valide conferre baptismum negant, ipsi sibi contradicunt. Quod autem fidem Ecclesiae et antiquitatis concernit, testimonium perhibet Tertulianus saeculi II. Scriptor in Libro de Baptismo scribens: „Et laicis jus est baptisandi.“ Idem testatur Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Augustinus Libr. 2. contra Julianum, et innumeri Graeci et Latini Patres, quos citat Prodromus.*) Contra omnes autem deviantes opiniones Concilium Florentinum decreto de Sacramentis enunciavit: „Minister hujus sacramenti (Baptismi) est Sacerdos, cui ex officio competit baptisare.“ In casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, vel haereticus baptisare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.“

§ 63. De caeremoniis ad Baptisma pertinentibus.

Tota Ecclesia Christiano-Catholica, et uterque ritus graecus et latinus praescriptas habet in administratione Baptismi certas preces, et caerimonias, tum ad conciliandam Sacramento venerationem, tum ad beneficia indicanda quae Deus per illud confert, tum demum ad offerendum hominum memoriae, eorum, qui Christianae religioni initiantur, officia. Has caerimonias ex Ecclesiae praecepto adhibendas, vel cito supplendas esse, si gravi de causa omittantur, tota Ecclesia utriusque ritus docet. Tales caeremoniae sunt ante baptismi collationem Exorcismi, satanae abre-

*) Antoine de Baptismo pag. 104.

nuntiationes et in sufflationes, dein unctio oleo catechumenorum, quod in Ecclesia orientali per ipsos Presbyteros benedicitur; dein post Baptismum novae et mundae vestis ex tela nova traditio, et tonsio capillorum in forma crucis. Simul autem de praxi et disciplina Ecclesiae Orientalis baptisato confertur sacramentum Chrismatis seu Confirmationis Chrismate die coenae Domini sub sacra Liturgia consecrari solito. In quibusdam Ecclesiae orientalis ditionibus baptisatis et confirmatis mox etiam sacra Eucharistia porrigitur. Qua de re Constitutio Benedicti XIV. „Et si Pastoralis“ sequentia continet: „Cum administratio sacramenti Euchuristiae, quo sub una vel sub utraque specie infantibus in Baptismo, et pueris in Missa solent Graeci exhibere, nihil contra fidem bonosque mores contineat, dummodo iidem Graeci credant firmiterque teneant, communionem hujusmodi non esse necessariam ad salutem, ac Baptismum sine communionem valide ac licite posse administrari.“ Sed et in Concilio Lateranensi IV. probatae sunt consuetudines Graecorum, aliorumque Orientalium, quae neque fidei, neque honestati adversantur. At mos confirmandi, ac Eucharistiam administrandi pueris illico post baptismum, antiquior laudato Concilio, neque fidei neque honestati contrarius est. Imo etiam in Latina Ecclesia quandoque viguit; nam in Sacramento, quod Gregorio Magno adjudicatur, habetur: „non prohibetur infantes lactari ante sacram communionem si necesse fuerit.“*) Quod si tamen non obstante hac Ecclesiae orientalis consuetudine, Confirmationem ad essentiam Baptismi pertinere, aut Eucharistiam

*) Antoine de Sacram. Baptismi pag. 106.

necessariam esse parvulis ad salutem, deque jure divino tria haec Sacramenta conjungenda esse, aliqui adstruerent, manifesta in haeresi versarentur. Namque quamvis laici extra casum necessitatis, ac Diaconi praeter Episcopi vel Sacerdotis licentiam sacramentum Baptismi licite conferre nequeant, tamen Ecclesia semper professsa est eos, qui vel a Laicis, vel a Diacono juxta praescriptum Canonem Ecclesiae Graecae, et Tertuliani doctrinam, qui dicit: „Baptismi Minister est Episcopus, vel de licentia Episcopi Presbyter vel Diaconus,“ rite baptisati sunt, verum sacramentum regenerationis suscipere. fierique aeternae gloriae capaces et haeredes, etiam si sacramentum Confirmationis, quod Diaconi administrare non possunt, non recepissent. Ex quibus patet, quod prout Latini non debent reprehendere Orientales propter propriam disciplinam, ita vicissim Orientales non debent arguere Latinos: habent suae consuetudinis idoneas causas Graeci: habent et quidem validissimas Latini*) quos et Graeci imitati sunt, nostris temporibus Eucharistiam parvulis baptisatis in pluribus ditionibus non amplius administrantes. Usus enim conjungendi haec tria sacramenta ex eo ortus est, quod antiquis temporibus, in quibus stans diebus, uti in Paschate, Pentecoste, et Epiphania, qui solemnibus Baptismo initiabantur plerumque adulti erant, quibus tria sacramenta successive eodem die conferebantur; inde factum est, ut in Euchologiis in officio sacramentorum, haec tria sacramenta conjuncta ponerentur. At Ecclesia Latina, dum sine fidelium scandalo et commotione, disciplina mutari potuit, satius duxit tria haec Sacramenta jungere, ac Confirmationem tunc tantum conferre, cum

*) Consul Bened. XIV. de Synod. lib. 7. Cap. X.

homines ad rationis usum pervenerint; Eucharistiam autem tunc tantum, cum homines distingvere poterint inter spiritualem et materialem cibum, atque tanti sacramenti efficaciam intelligere.

§ 64. Disciplina Ecclesiae Orientalis quoad Sacramentum Confirmationis.

Orientalis Ecclesia confitetur Confirmationem esse Sacramentum a Baptismo diversum, quo Spiritus sancti robur, et fortitudo baptisatis confertur, ut christianam fidem firmiter teneant, eamque animo invicto profiteantur. Quamquam autem Apostoli manuum impositione confirmarunt „Actorum Cap. 8.“ sicut et eorum successores¹⁾ Firmiliano teste, item Cypriano²⁾ et Tertuliano,³⁾ apud Graecos tamen, manuum haec impositio ipsa frontis consignatione continetur. Patet id ex Libr. 3. Constitutionum Apostolicarum Cap. 15., ubi Confirmationis ritus ita describitur: „in manus impositione caput ipsius (baptisati) unget Episcopus. Hinc etiam Innocentius III, Pontifex inquit: Per frontis crismationem manus impositio designatur, quae alio modo dicitur Confirmatio. Ergo rite Confirmatio perficitur, etiamsi alia a frontis consignatione distincta manus impositio non adhibeatur.

Praeter hanc autem manuum impositionem, etiam unctio, necessaria est hujus Sacramenti materia, cuius mentionem facit S. Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 21. inquit: „Qui confirmat nos Christus, et qui unxit

¹⁾ Epist. 75.

²⁾ Epist. 73.

³⁾ Tertulian. de Bapt. C. 8.

nos Deus, qui signavit nos et dedit pignus Spiritus sancti in cordibus nostris,“ quae verba de sacramento Confirmationis sumi debere communis est SS. Patrum sententia.

Unctio haec, juxta Concilium Florentinum Chrismate fieri debet confecto ex oleo, quod nitorem conscientiae significat, et balsamo, quod odorem designat bonae famae, per Episcopum consecrato, graece Myron dicto; Graeci autem addunt etiam alias 33 fragrantium rerum species cum vino; S. Basilius ipse testatur, oleo et balsamo odora etiam nonnulla et aromata fuisse permixta, ita tamen, ut oleum olivarum cum balsamo praevaleant.

Unctio autem fieri debet in signo crucis; Graeci non solum in fronte unguunt, sed etiam oculos nares, os, aures, pectus, volam munuum et pedes, qui usus antiquissimus est, cujus meminit Cyrillus Hierosolymit. Catech. 3. Basilius et Concilium Const. Can. 7. Principalis tamen et essentialis est unctio in fronte; sed nec reliquas unctiones Orientales negligere debent, verum eo praecepto adhibere, quo propriae Ecclesiae ritum servare obligantur.

§ 65. De Forma sacramenti Confirmationis.

Forma Sacramenti Confirmationis juxta Euchologia Graecorum est haec: Signaculum doni Spiritus Sancti; eaque semel duntaxat, simul cum unctione proferri debet, sicut rubricae Euchologii praescribunt; de qua Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 18. ait: „Signaculum datum est illi (confirmato) excommunicatione spiritus sancti,“ et Benedictus XIV. Epist. 2. de nova Euchologii graeci editione haec habet:

„Forma Sacramenti Confirmationis, in Graeca Ecclesia juxta communem receptamque sententiam sequentibus verbis continetur: „Signaculum doni spiritus sancti;“ quae verba pronunciantur ab eo qui Sacramentum ministrat, dum cum sacro unguento crucis signum imprimit.

§ 66. De Ministro sacramenti Confirmationis.

Quoad Ministrum sacramenti Confirmationis in Parte I. hujus Operis demonstratum est, Ecclesiae etiam Orientalis Doctores et Canones Ministrum Sacramenti Confirmationis ordinarium Episcopum, et solum ex ejus delegatione non sine tamen Apostolicae Sedis conniventia ac tacita delegatione*) Presbyterum hoc Sacramentum conferre cum Chrismate ab Episcopo consecrato.

§ 67. Error Photianorum Graecorum quoad iterationem Confirmationis.

Constantinopolitani Graeci recognoscunt quidem Confirmationis Sacramentum animae hominis characterem imprimere, hoc non obstante tamen illud iterari posse adstruunt. Utque sibi ipsis non contradicere viderentur, dicunt: Baptismi et Ordinis Sacramentum non propterea iterari non posse, quia imprimunt characterem indelebilem, sed quoniam haec Sacramenta repraesentant mortem Domini, quae non iteratur, „Christus mortuus jam non moritur amplius.“ Quosuper Codex Canonum Graecus, in Nota ad Canonem LXIX. SS. Apostolorum sequentia tradit:

*) Consulatur Arcudius Lib. 2. confirm. C. 15. Benedictus XIV. de Syn. lib. 7. C. IX.

„Propter quam causam e septem Sacramentis solum Baptismus, et Ordo non iteratur? Responsum: scholastici dicunt, quia haec Sacramenta imprimunt characterem indelebilem. Qui character secundum illos¹⁾ existit in anima, et vis supernaturalis. Hanc sententiam sequuntur omnes fere Theologi nostri, imprimis Coresius. Mihi tamen videtur, quod illa duo Sacramenta Baptismus et Ordo ideo solum iterari non possint, quia fiunt in typum mortis Domini, quae non iteratur. Qui enim bapntantur, in mortem Domini bapntantur secundum Paulum, et Canonem 47 Apostolorum; Presbyteri autem depositi e Presbyteratu, propterea restituti suo muneri non reordinantur, quia repraesentant magnum et primum Sacerdotem, qui intravit semel in Sancta Sanctorum aeterna redemptione inventa, et manet in aeternum, habens Sacerdotium perpetuum. Haeque est, dicit Pidalion causa, quod secundo non ordinetur Sacerdos, habens perpetuum Sacerdotium in Christo. Altera causa, quoniam Sacerdos pro eo constituitur, ut offerat sacrificium incruentum, per quod designatur mors Christi una. Si namque ea esset ratio sufficiens non iterationis horum Sacramentorum, quia imprimunt characterem per Scholasticos inventum; quare ergo Confirmationis Sacramentum iteratur? non obstante, quod signaculum vocetur, atque sigillum et characterem imprimat animae; dicit enim Evangelista Joannes.²⁾ „Et vos gratiam, quam accepistis ab illo, in vobis manet“ et Paulus³⁾ „Qui signavit vos et dedit pignus Spiritus in animabus vestris.“ Sed et

¹⁾ Vide Nicol. Bulgarus Parte 4. Theolog. in Catechismo.

²⁾ 1. Joann. Cap. 2. v. 7.

³⁾ 2. ad Corinth. Cap. 1. v. 22.



David*) Saulum unctum Domini vocat. Propterea etiam, propter hanc causam, unicam mortem Domini, unum solum Diaconum, aut Presbyterum, aut Episcopum, sub una Liturgia oportet ordinari, et non duos aut plures, si autem plures ordinentur sub eadem Liturgia, non sunt ordinati secundum traditionem Ecclesiae. Ac propter hanc ipsam causam, ut non iteretur unica mors Domini, statuit Synodus Antisidorensis, temporibus Heraclii Imperatoris 615. celebrata, ut non fiant duae Liturgiae eadem die in eodem altari, quod etiam transgrediuntur Latini.“

Ex his patet, Photianos in ea esse sententia, quod Confirmationis sacramentum et iteretur, et iterari debeat, inducti in hanc sententiam Canone VII. Concilii Constantinopolitani I. in quo praescribitur, quomodo haeretici ad Ecclesiam recipiendi sint, Verba canonis huc spectantia sunt: „Et Quartodecimanos sive Tetraditas, et Apolinaristas recipimus, dantes quidem libellos (professionem fidei) et omnem haeresim anathemisantes, quae non sentit ut sancta Dei Ecclesia; et signatos, sive unctos primo sancto Chrismate, et frontem et oculos et nares, et os, et aures, et eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus sancti.“ Rubrica autem Euchologii graeci quoad receptionem haeticorum sic sonat: „Postea accipiendo Chrisma, ungit eum secundum ritum eorum, qui baptisantur, signando cruce et dicendo: signaculum doni Spiritus sancti.“ Et haec quidem clara sunt, sed fons ipse haud clarus est. Eruditi viri, quos inter Beveregius, demonstrant, citatum canonem genuinum haud esse, et posteriori tempore saeculo V.

*) 2. Regum C. 1. v. 12.

Canonibus dicti Concilii adjectum. Nec exstat Canon ille in antiquioribus Canonum editionibus, nec etiam in Nomocanone. Consuetudo Ecclesiae Constantinopolitanae pro statuenda fidei regula non sufficit; imo hic quoque manifesto errore circa fidem detecto, Sancta Sedes Apostolica imprimis Pontifex Urbanus VIII. et Benedictus XIV. in Epistola 1. de nova Euchologii editione monuerunt, in caeremonia illa, qua per unctionem Chrismatis haeretici reconciliantur, non esse usurpanda verba illa: „Signaculum doni Spiritus Sancti“ quae formam sacramenti Confirmationis constituunt.

§ 68. Disciplina Ecclesiae Orientalis quoad Sacramentum Eucharistiae „Materiam“ ejus.

Materia Eucharistiae est panis triticeus et vinum de vite aqua mixtum; panis autem juxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis fermentatus, et quidem ex lege ecclesiastica; namque Concilium Florentinum statuit: „Sacerdotes in altari ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae consuetudinem.“ Ideo Pius V. Pontifex constitutione, quae incipit „Romani Pontificis“ 13. Kal. Sept. 1566. edita. Quibusvis Presbyteris, tam Graecis, quam Latinis in Virtute sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri graeci latino more, et Latini graeco ritu, obtentu quarumcunque licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio praetextu Missas, aut alia divina officia celebrare, aut celebrari facere praesumant. Idem et Benedictus XIV. Constitutione: „Et si Pastoralis“ qui insuper prohibet, ne Latinus Parochus pyxidem in Ciborio cum parti-

culis sub specie fermentati, pro communione Graecorum, ac Parochus graecus sub specie azymi pro communione Latinorum in quocunque Ecclesiae suae altari retineat, jubetque, ut unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive graeco sive latino ritu Eucharistiam fidelibus porrigat.

Vino parum aquae miscet tum Occidentis, tum Orientis Ecclesia, eo quod ipsum Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.

Graeci autem praeter frigidam aquam, quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiae sumtionem ferventem aquam infundunt in calicem, ut scilicet sanguis et aqua, quae fluxerunt a sancto latere Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus, vivificasse constet, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica. Benedictus XIV. constitutione „Et si pastoralis § VI. Nr. 2. hanc disciplinam probat, et permittit, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta Ritus in Liturgia praescriptum, aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere.

§ 69. De Forma Sacramenti Eucharistiae.

In sacris Graecorum Liturgiis post verba a Christo in novissima coena prolata, per quae panem ac vinum in corpus et sanguinem suum mirabiliter convertit, quaedam orationes et preces ex antiqua traditione adjectae fuere, quae consecrationem non adhuc perfectam esse innuere videntur. Quapropter in Concilio Florentino magna conquisitio ac disceptatio

inter Graecos et Latinos facta fuit, ac tandem feliciter composita. Eugenio siquidem summo Pontifici scientanti cur illas preces adderent post Christi verba, perinde ac si non dum esset peracta cosecratio, doctissimus Bessarion nomine totius Ecclesiae Orientalis respondit = se didicisse, a Patribus suis ac praesertim Chrysostomo sola virtute verborum Christi panem in corpus, et vinum in sanguinem mutari; iisque solis admirandam istam mutationem et transubstantiationem adscribendam esse, atque haec semper credidisse et in aeternum credituros esse.*) = Professi insuper sunt preces illas eo sensu esse exponendas, ut fructus ac utilitas ex tanto sacrificio Sacerdotibus ac fidei populo proveniant. Illud insuper fide divina inter Catholicos constat, in sacramento Eucharistiae (sive adhibeatur Liturgia Orientalis sive Occidentalis) corpus ac sanguinem Christi vere realiter, ac substantialiter contineri, atque in Missa offerri Deo verum ac proprium sacrificium, illud idem nimirum, quod Dei Filius Deus verus et homo in ultima coena, atque in ara crucis pro nobis obtulit. Sacerdotes denique Ecclesiae Catholicae utriusque ritus fidei mente ac corde teneantur omnia pie ac integre in sacra Liturgia praescripta, sed unus quisque juxta probatam Ecclesiae suae sive Orientalis, sive Occidentalis disciplinam.

Ex eo autem, quod ante sacram Eucharistiae consecrationem nudus panis et nudum vinum in altari adsit, monet Benedictus XIV. Episcopos aliosque curam animarum gerentes, ut populum docere non in-

*) Vide Acta Concilii Florentini. — Raynald ad Ann. 1439. § VI. — Fleury lib. 108 §§. 35. et 36. — Arcud lib. 3. a Cap. XXXI. ad XXXIV.

termittant, quod dum sacra dona a Prothesi ad Aram transferuntur (sub cantu Cherubimorum), solemniter, cum ea nondum sint consecrata, sub eorum speciebus nequaquam existit corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post consecrationem, ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga praefata dona non dum consecrata exhibentur, non ea ratione peraguntur, ut cultus latriae soli Deo debitus iisdem praestetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cujus objectum est futura transubstantiatio eorundem donorum, in corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

§ 70. De Communionem sub utraque specie.

Etiam si Ecclesia Latina Communionem eucharisticam sub utraque specie, inde a saeculo XIII. abrogaverit, et pro fidelibus sub una solum specie e gravibus rationibus praescripserit; Ecclesiae tamen Orientalis disciplinam non damnat, dummodo hanc sub utraque specie Communionem absolute necessariam, aut sub una specie totum Christum non recipi non credant. Benedictus XIV. in Constitutione: „Etsi pastoralis“ hac de re inquit: „Permittimus ita tamen, ut sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quod ad fructum adtinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt.“

§ 71. Disciplina Ecclesiae Orientalis, circa Sacramentum Poenitentiae.

Duplicem Orientales distinguunt poenitentiam, publicam, et privatam. Publica poenitentia est, quam

Episcopus, vel Presbyter poenitentiarius ad Canonum Ecclesiae normam decernit, atque a confessis peccatoribus publice peragitur. Privata vero, quae a Confessario poenitentis fidei et conscientiae privatim ac secreto peragenda committitur.

§ 72. Poenitentia publica, varii poenitentium gradus.

Publice poenitentium gradus erant sequentes: 1) Flentium, qui extra portam templi constituti a fidelibus Ecclesiam intrantibus et egredientibus veniam postulabant. 2) Audientium, qui intra portam templi constituti hymnos, sacrarumque Scripturarum lectionem audiebant. 3) Substratorum, qui intra templum consistentes substernebantur, et cum catechumenis ad vocem Diaconi „vocati exite“ egrediebantur. 4) Comprecantium, qui poenitentiam egerunt, atque poenam canonicam sustinuerunt, ideo cum fidelibus comprecabantur, sed ad Communionem Eucharistiae nondum admissi erant. 5) Participantium, qui dignos poenitentiae fructus fecerunt, et divinae Communioni participabant.

His ad intelligendos Canones poenitentiales praemissis, id quoque observandum est, non modo ob crimina publica, verum etiam occulta gravia, Episcoporum e sententia publicam poenitentiam imponi potuisse. Ex arbitrio autem et voluntate Episcoporum pendebat, ut poenitentes per omnes, aut vero pauciores transirent poenitentiae gradus, atque de tempore poenitentiae propter zelum poenitentis remittatur, sive Indulgentia concedatur. Indulgentiae proinde etiam in Ecclesia Orientali semper obtinuerunt, quae e potestate ligandi et solvendi Episcopis collata derivantur.

§ 73. De Poenitentia privata.

Abrogata in Ecclesia Orientali sub Nectario Constantinopolitano Episcopo ad finem saeculi IV-i poenitentia publica, quod exemplum sensim imitatae sunt aliae quoque Orientalium Ecclesiae, remansit in Ecclesia sola poenitentia privata, sive secreta peccatorum confessio, secreta pariter operum poenitentiae injunctio, et eorum adimpletionis conscientiae poenitentis commissio. Haec autem secreta peccatorum confessio exceptis quibusdam ditionibus, non genibus flexis, sed sedendo vel stando cum reverentia fit; quod etiam in Ecclesia Latina antiquitus obtinebat. In Confessione autem omnia et singula peccata mortalia post Baptismum commissa, et quae post omnes excussas animae suae latebras diligenter cogitanti occurrunt, Sacerdoti confessario aperire oportet, qui pro sui prudentia opportunis interrogationibus poenitentes adjuvare curabit. Insuper patefaciendae sunt circumstantiae, quae speciem peccati mutant*): prout praescribunt etiam Libri poenitentiales Joannis Jejunatoris Patriarchae Constantinopolitani, Joannis item Monachi discipuli S. Basilii Magni, atque Libellus Simeonis Archi-Episcopi Thessalonicensis, et Gabrielis Philadelpiae Metropolitae de Sacramento Poenitentiae scripti. Post Confessionem datur quidem absolutio imposito opere Poenitentiae, sed ad Communionem Eucharistiae pro ratione peccatorum, et poenitentium ad agendam poenitentiam fervore et zelo, in longum vel brevius tempus differtur, ut eo dignior ad sacram Communionem evadat, neve temere accedat.

Trid. Sess. 14. C. 5.

§ 74. De Canonibus poenentialibus.

Ecclesia Occidentalis et Orientalis suos habet Canones poenitentiales, praecipuos isthic recensere juvat.

A) *Canones poenitentiales Ecclesiae Latinae ex Instructione S. Caroli Boromaei.*

Ad 1) Decalogi praeceptum: Qui a fide desciverit, poenitentiam agat annis decem. Qui auguriis et cantationibus diabolicis serviverit, poenitens erit annis septem. Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, poenitens erit annos duos. Si quis Magos consuluerit, in poenitentia erit annis quinque.

Ad 2) Decalogi praeceptum: Quicumque sciens pejeraverit, XI. dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, et post haec Communionem percipiat, ad testimonium autem nunquam recipiatur. Si quis Deum, B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, diebus Dominicis septem praeforibus Ecclesiae, dum Sacra celebrantur, stet, et pauperes pascat; recusans, Ecclesiae ingressu interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura. Qui votum simplex violaverit, poenitentiam agat tribus annis.

Ad 3) Decalogi praeceptum: Qui opus aliquod servile die dominico, festove fecerit, poenitentiam agat tres dies in pane et aqua. Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violaverit poenitentiam agat dies viginti in pane et aqua. Qui in quadragesima jejunium violaverit pro uno die poenitentiam agat dies septem. In quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens in Pascha non communicet, ac praeterea a carne abstineat.

Ad 4) Decalogi praeceptum: Qui parentibus maledixerit XI dies poenitens sit in pane et aqua. Qui parentes injuria affecerit, tres annos. Qui parentes percusserit, annos septem. Si quis contra Episcopum, Pastorem, et Patrem suum insurrexerit, in Monasterio omnibus vitae suae diebus poenitentiam agat. Siquis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui praecepta contempserit, vel irriserit, poenitentiam agat dies XI in pane et aqua.

Ad 5) Decalogi praeceptum. Qui Presbyterum occiderit, poenitentiam agat annis XII. Si quis autem occiderit patrem, matrem, fratrem et sororem, tota vita abstineat a carne et vino, jejundet secunda quarta et sexta feria, et nisi in agone sacram Communionem percipiat. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiae semper erit, et in obitu tantum Communionem percipiet. Qui consilii homicidii auctor fuit, septem annos poenitebit. Mulier sponte abortum faciens, poeniteat annos tres; si nolens, quadragesimas tres. Si quis per iram subitam, aut in rixa hominem necarit, poenitebit annos tres. Si quis alium vulneraverit, vel aliquod membrum praeciderit, poenitentiam agat uno anno per legitimas ferias. Si quis hominem percusserit, nec ei nocuerit, triduo poenitentiam agat in pane et aqua.

Ad 6) Decalogi praeceptum: Si laicus solutus cum soluta concubuerit poenitentiam agat annis tribus. Qui turpiloquio vel aspectu polluitur negligens, poenitentiam agat XX dies. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit XI dies. Qui cum duabus sororibus, aut cum filia spirituali fornicatus fuerit, poenitentiam agat tota sua vita. Qui incestum non ita enormem commiserit, poenitens erit XII. annis. Si qua

mulier cerussa, alioque pigmento se se oblinivit, ut aliis viris placeat, poenitentiam agat annos tres. Si quis adulterium commiserit, decennium, si autem osculo, sive amplexu impudico peccavit, triginta dies poenitebit.

Ad 7) Decalogi praeceptum: Si quis minus furtum commisit, poenitentiam agat annum unum. Si quis ex Ecclesia subripuerit, annos septem. Qui usuras accipit, rapinam facit, poenitentiam agat annis tribus, uno in pane et aqua.

Ad 8) Decalogi praeceptum: Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque. Falsarius in pane et aqua, tota vita poenitentiam agat. Si quis proximo detraxerit, poeniteat dies septem in pane et aqua.

Ad 9. et 10) Decalogi praeceptum: Rem alienam nefarie concupiscens, et avarus, poenitens erit annis tribus. Si quis concupiscit fornicari, poenitens erit annis duobus.

B) Canones poenitentiales Ecclesiae Orientalis.

In Ecclesia Orientali Canones S. Basilii Magni Codicem poenitentialem constituebant, ex quibus aliquos exempli ad instar exprimere juvat, cum ii omnes Codici Canonum graeco adjecti sint:

Qui Christum negaverit, per totam vitam poenitentiam agat.

Si quis vatibus se addicit ut secreti aliquid discat, seu superstitiosus, sex annis poenitentiae subjaceat. Qui vi coactus pejeraverit, post sexennium suscipiendus, si vero citra necessitatem, post duodecim. Involuntarius homicida decennio poenitentiae subja-

cebit. Voluntarius homicida, viginti annos poenitentiae subjiatur, Fornicator septennium, Virgines post professionem lapsae, quindecim annos. Quae de industria foetum corrumpit, poeniteat annos decem, fratrum et sororum coitus, puniatur annis XX. Fur annis duobus, sepulchrorum violator annis X. Adulter sicut homicida etcet.

Horum et aliorum Canonum poenitentialium, qui Codice Canonum complexi sunt, rigorem saeculo VI. temperavit Joannes Jejunator Patriarcha Constantinopolitanus editis propriis Canonibus poenitentialibus, juxta quos Orientales opera poenitentiae injungenda esse tenent, ideo etiam haec opera *Kavova* vocant. Goarius pag. 697. hanc Graecorum disciplinam sic describit: „Patres Spirituales sedentes, poenitentes pro exomologesi audiunt. Si leves, et venia dignas poenitentium culpas deprehenderit, nullam adhibent absolutionem, sed de pio, devotoque quodam opere exercendo monitum amice poenitentem dimittunt; si lethifera crimina detegunt, illa in Nomocanone juxta se posito examinant, censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiunt, et tandem poenitenti bene precantur, his aliisque orationibus aut in remedium praeteriti delicti, vel in cautelam futuri impositis. Peccata tandem cuncta ad Canonum rigorem examinata, poenis in eis perlectis castigant et emendant. Et licet publica poenitentia nemini amplius imponatur, aliquos tamen Confessione expiatis a sacra Communionem per annum ac etiam plures arcent.“

Et haec quidem est disciplina canonica Ecclesiae Orientalis, quam sacra Sedes Apostolica non reprobavit, quin imo obligatio est eam ubi viget observandi. Ubi autem rigor ejusdem canonicae disciplinae apud

Orientales quoque exolevit, sancta Sedes Apostolica rigorem literae Canonum non praescribit; apposite enim in hanc rem monet Muratorius sequentia: „Quodsi Episcopus in sua Synodo antiquos Canones poenitentiales renovaret, suisque constitutionibus adnecteret, animo inducendi Confessarios ad poenitentias imponendas, quae pro uno quoque crimine sunt in illis praescriptae, non solum rigidissimae Ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem attentaret: Etenim hac nostra aetate, qua fideles a pristino morum nitore et sanctitate defecerunt, tot interdum gravissimis onerati ad sacramentale forum quidam accedunt, ut, si iisdem secundum antiquos Canones poenitentiales foret injungenda poenitentia, haec ad tot annos esset protrahenda, qui integrum eorundem vitae cursum non exaequarent modo, sed etiam excederent.“ Sancta autem est cujusvis Confessarii obligatio spiritum Canonum poenitentialium in eo observare, ut pro magnitudine delictorum, graviora quoque poenitentiae opera, tam ad peccatorum vindictam et remedium, quam etiam ad cautelam futurorum imponant, ipsisque poenitentibus confitentibus enuncient: qualem juxta Canones Ecclesiae subeundam haberent poenam; imprimis autem, si quis ob occulta peccata in poenam irregularitatis vel suspensionis, vel excommunicationis incidit, hoc confitenti patefaciendum est. Id monet etiam Catechismus Romanus ad titulum „de Poenitentia“ his verbis: „Ut poenitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, opere pretium erit eis interdum significare, quae poenae quibusdam delictis, ex veterum Canonum praescripto, qui Poenitentiales vocantur, constitutae sint.“ Unde patet, quod Confessariis Canones poenitentiales ignorare non liceat.

§ 75. Species Operum Poenitentiae.

Operum poenitentiae praecepta in tres generales species dividuntur: 1) In ea, quae Communionis Eucharistiae privationem spectant; is enim est principalis Canonum spiritus, ne cui indigno sacra Eucharistia praebatur, et ideo post absolutionem Communionem diutius differendam, interdum usque ad finem vitae, praecipiunt, eousque scilicet, donec ex renovandis Confessionibus Confessarius certus esset, poenitentem dignos fecisse poenitentiae fructus, vereque conversum esse, „nolite sanctum dare canibus, neque margaritas projicere ante porcos.“ 2) In ea, quae jejunia, et ciborum abstinentias respiciunt. 3) In ea, quae preces singulis diebus recitandas, item opera charitatis et eleemosynas adtinent.

§ 76. Speciatim notanda de poenitentia Clericorum.

Circa poenitentiam Clericorum tria sunt speciatim observanda: 1) Juxta Canonicam Ecclesiae Orientalis disciplinam, Confessarius a Clerico confiteri volente promissionem praevie exigere debebat ab Officio cessaturum, si crimina confiteretur, pro quibus Canones depositionem aut suspensionem dictant*). 2) Clericum propter crimen sic secreto in Confessionis auricularis tribanali depositum, aut suspensum, communionem ecclesiasticam non privari, poena priore juxta Canones crimini sufficiente. 3) Si Clerici conjugati resciverunt uxores suas adulterio pollutas, eas dimit-

*) Constitutio Joannis Jejunatoris Constantinopolitani Patriarchae.

tere tenentur, si autem iis postmodum quoque, vel habentes uxores aliis commisceantur, ab officio ecclesiastico cessare, secus absolutionis capaces non sunt.

Quod hodiernam disciplinam concernit, refert Morinus, Archi-Episcopum Trapaesuntensem, dum Parisiis morabatur, interrogatum respondisse: „de praxi recentiori, si Clericus vel Monachus in carnis vitium lapsus sit, illudque publice probatum, licet semel tantum perpetratum sit, Clericus ille deponitur; Si autem accusatus, sed non convictus se jure jurando purgat, et innocentiam suam confirmat, communionem fruitur. Si vero crimen sit occultum, et Confessione secreta Sacerdoti aperit, semel bisve condonatur, tertia vero, ut a sacro Ministerio cesset, severe injungit Confessarius; nec aliter, quam si cessaturum ab exercitio functionum Ordinis promittat, absolutionem concedit.

§ 77. Forma Sacramenti Poenitentiae.

Formam Sacramenti Poenitentiae exhibet Euchologion Graecum hanc; „Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus cum sua gratia, et misericordia remittat tibi Fili N. omnia peccata tua, et ego indignus Sacerdos, potestate mihi data condono tibi et absolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen.“

§ 78. De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

Hujus Sacramenti Minister est juxta Orientalis Ecclesiae Canones Episcopus, vel Presbyter, cui Episcopus absolvendi facultatem tribuerit; vel cui ani-

marum curam commiserit, atque taliter subditos designaverit, in quos jurisdictionem absolvendi a peccatis exerceat. Benedictus XIV. in Constitutione „Etsi pastoralis“ hac de re statuit: „Sacerdotes quoque conjugati, aliique quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam injungere pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur, quod est majus, competit quoque, nec negari potest, quod est minus.“

In casu autem necessitatis juxta Canonem L. Carthaginensem, quilibet Presbyter potest absolvere, unde etiam consequitur, quod in casu necessitatis Presbyter latinus, graecos, et graecus-latinos absolvere possit. Graecus vero Sacerdos quando Latinos absolvit, utatur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta, postea vero si voluerit, dicat Orationem illam deprecativam, quam Graeci pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt*). Extra casum autem necessitatis solum cum jurisdictione ab Episcopo respectivi Ritus obtenta; imo, si jurisdictio non sit restricta ad unius ritus fideles, possunt Sacerdotes tali generali jurisdictione instructi alterius etiam ritus fidelium confessiones audire, et absolvere; existit enim Decretum Congregationis de propaganda fide, anno 1630. editum, quo referente Cardinali Bandino statutum fuit, non debere latinos Episcopos prohibere subditos suos, ne Confessiones faciant Sacerdotibus Ruthenis unitis, ab Ordinariis locorum approbatis, nec e contra Episcopos Ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare,

*) Bened. XIV. loco citato § V. N. V.

ne Confessarios latinos approbatos ad expianda sua peccata adeant; nam cum Rutheni uniti sint veri Catholici, ubi Ritus diversitas non repugnat, discordias et dissidia inter eos excitantes et nutrientes introducere, inconueniens et damnosum est.“

Observandum autem est, quod Graeco-Catholicos etiam Constitutiones generales Romanorum Pontificum, in quantum et pro illis editae sunt, obligent, talis est Constitutio Benedicti XIV. Calendis Junii 1741. edita Nro. 20.: „Ne ullus Confessarius extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quoque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem sacramentalem personae complicitis in peccato turpi, atque inhonesta contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacunque auctoritate et jurisdictione, ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam.“ Quae Constitutio pontificia tanto magis congruit cum Canonibus orientalibus, cum juxta eos, talis delicti reus de Canone sit irregularis, et a functionibus Ordinis, omnique exercitio spiritualis jurisdictionis cessare debeat.

Similiter Constitutio ejusdem Pontificis, qua confirmat Constitutionem Antecessoris Gregorii XV. Bulla 84. „contra sollicitantes“ qua praecipitur poenitentibus ut denuncient locorum Ordinariis, et ut ad hoc Confessarii admoneant poenitentes sub denegatione absolutionis sacramentalis, ad denunciandos Confessarios, qui personas quascunque ad turpia, seu peccatum contra VI. decalogi praeceptum patrandum, in actu sacramentalis Confessionis, sive antea, sive post, sive praetextu Confessionis in loco pro Confessione destinato simulantes Confessionem audire, sollicitare vel

provocare tentaverint, aut cum illis inhonestos sermones vel tractatus habuerint.

Denique obligat Graeco-Catholicos etiam Decretum Concilii Lateranensis IV. Cap. 21. „de Sigillo Confessionis“ cujus tenor sequens est: „Caveat omnino Confessarius, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat; quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumserit revelare, non solum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.“

§ 79. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Sacramentum Extremae Unctionis, Materia hujus Sacramenti.

Materia Sacramenti Extremae unctionis est oleum olivarum, per Presbyteros hoc Sacramentum conferentes eadem occasione benedici solitum, dum quilibet Presbyter orationem benedictionis olei recitat. Benedictus XIV. Constitutione „Etsi pastoralis“ de hac Materia Sacramenti Graecorum statuit: Non sunt cogendi Graeci Presbyteri, olea sancta ab Episcopis latinis dioecesanis praeter Chrisma accipere, cum hujusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum et Sacramenti exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur. Unctio autem fit ab omnibus praesentibus Sacerdotibus. Quae vero partes corporis inungi debeant, Euchologion non praescribit. Simeon Thessalonicensis dicit: „Ungit Sacerdos in crucis modum aegri frontem, ob contrarias in ea cogitationes, faciem quoque inungit ob sensuum organa, et postremo manus; a

pravis cogitationibus et operibus eum explicans, sanctoque oleo muniens illum, et perfecte justificans. De pectore autem unde prodeunt pravae concupiscentiae et affectus, et pedibus ad iniquitatem attingendam velocibus, mentionem non injicit Simeon Thessalonicensis, quamvis hae etiam partes corporis inungi soleant*).

§ 80. Forma Sacramenti Extremae Unctionis.

Formam Sacramenti Extremae Unctionis exhibet Euchologion in precatione sequenti: Pater sancte, animorum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque (ungendo dicit) servum tuum N. a detinente corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam intercessionibus Beatae Mariae semper Virginis etc. dicitur seu recitatur haec Oratio qua forma Sacramenti a quolibet Presbytero, dicit enim S. Jacobus, ut orent Presbyteri ungentes aegrum in nomine Domini.

§ 81. De Ministro Sacramenti Extremae Unctionis.

Minister Sacramenti Extremae Unctionis est Presbyter, vel Presbyteri; Graeci literae textus S. Jacobi inhaerentes plures Presbyteros adhibere solent, nempe 7., 5. vel 3. numero impari; Synodus autem Ruthenorum anno 1720. Zamoscae celebrata, quam Benedictus XIII. Pontifex 1724. approbavit, declaravit: „Si septem aut tres haberi commode non possint Sa-

*) Vide Arcadius Libr. 5. Cap. 7.

cerdotes, ab uno conferatur, qui totius Ecclesiae personam gerens, ejusque virtute hoc Sacramentum perficiens, infirmo conferat atque ministret.“ A. Benedicto autem XIV. Const. „Etsi pastoralis“, § V. num. 2. haec statuta leguntur: „Infirmis juxta verbum Jacobi unctio exhibeatur extrema;“ et Num. 3.: „Nec refert utrum eadem Extrema Unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant et asserant, illud Sacramentum servata debita forma ab uno Presbytero licite et valide conferri.“ Rationem autem, quare plures Presbyteri ad administrandum hoc Sacramentum adhibeantur, reddit Synodus dicta Ruthenorum Zamoscensis sequentibus: „Quamquam in Graeca Ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut septem Sacerdotes, hisce deficientibus tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc Sacramentum, hique omnes Materiam administrarent (sive ungerent), et formam proferrent; sciant autem Ecclesiarum Pastores, plures, ea de causa adhiberi solitos Sacerdotes, tum ob reverentiam ejusdem, et gratiae copiam quam confert, tum ut plurimum Sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent.“

§ 82. De subjecto Sacramenti Extremae Unctionis.

Subjectum hujus Sacramenti est aeger, infirmatur enim quis in vobis ait c. Jacobus. Si autem Graeci Sacerdotes ob mercedem sanos quoque inungere soleant. circa hanc Unctionem benevolentium respondet Benedictus XIV. de Synodo dioecesana Libr. VII^o C. 20. in hunc modum: „A Silentio Concilii Florentini rectius deducimus, sapientissimis illis Patribus fuisse

persvasum, sanctam Unctionem a graecis Sacerdotibus non adhiberi hominibus benevolentibus tamquam Sacramentum; sed meram caeremoniam et sacramentalem quamdam benedictionem; Graeci enim, qui de singulis suis ritibus coacti sunt rationem reddere, gravem utique reprehensionem non evasisissent, si comperti fuissent hac in re a communi Ecclesiae Catholicae traditione et praxi aberrare.“ Idem autem Pontifex approbato Euchologio Graecorum quoad administrationem hujus Sacramenti addit: quod quamvis Graecis diserte vetitum fuerit Extremae Unctionis Sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis et quidem gravi morbo laborantibus; iisdem nihilominus interdictum non est, quominus oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in Ecclesia asservatur, inungant energumenos, aliosque, qui devotionis gratia, vel ut ab aliquo incommodo liberentur hujusmodi Unctionem petunt; cum oleum in ea lampade asservatum, nequaquam ab Episcopo vel Sacerdote consecratum sit, ad effectum utendi eo in Extremae Unctionis administratione*).

§ 83. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Sacramentum Ordinis. De Gradibus Ordinis.

Gradus Ordinis, quibus praemittitur Tonsura clericalis, sunt Lectoratus, Subdiaconatus, minores; Subdiaconatus autem, recte observante Benedicto XIV. Const. „Etsi pastoralis“ Acolytatum quoque et Ostiarium involvit; quod inducitur ex oratione ordinationis Subdiaconi, apud Goar. pag. 303. hujus tenoris: „Domine Deus noster, qui per unum et eundem Spiritum Sanctum, singulis eorum, quos elegisti gratias

*) Vide Antoine Part. II. pag. 260.

distribuis, qui diversos Ordines Ecclesiae tuae largitus es, et in ea Ministerii gradus differentes ad sanctis et illibatis Mysteriis tuis famulandum constituisti; qui praesentia tua ineffabili hunc quoque servum tuum dignum, qui sanctae tuae Ecclesiae ministret, esse definivisti; ipse Domine inculpatum illum in omnibus conserva, et domus tuae decorem diligere, sancti tui templi foribus adstare (quod est Ostiariatus) et tabernaculi gloriae tuae lucernam accendere (quod est Acolytatus) concede. — Subdiaconatum pro ritu Latino solum Urbanus II. Pontifex in Concilio Beneventano anno 1091. dum permisit, ut interdum sed rarissime, oportunitate exigente, et non sine Romani Pontificis vel Metropolitanis sententia Subdiaconus eligi possit in Episcopum, quem e solo coetu eorum, qui sunt in sacris constituti assumendum veteres Canones sanciverunt, inter majores Ordines retulit. Addit autem idem Pontifex Canone I. dicti Concilii: „Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum, hos quidem solos legitur primitiva Ecclesia habuisse, super his solum praeceptum habemus Apostoli.“

Benedictus XIV. hac de re, Const. „Etsi pastoralis“ § 7. Nr. 6. sequentia decrevit: „Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis Ritus proprium graecum in Euchologio descriptum servant, in quo etsi nonnulli de minoribus Ordinibus praetermissi videantur (putat Exorcistatum*) eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum, (Osti-

*) Exorcista inquit Auctor Constitutionum Apostolicarum Libr. 8. Cap. 26. non ordinatur; hoc enim est spontanea concessio divinae erga homines benevolentiae et gratiae (donum curationum.)

ariatus et Acolytatus Subdiaconatui, ut supra observatum est) iidem Graeci affirmant. Nro: autem 7. idem Pontifex prosequitur: „Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu graeco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam impostum servandam, ita decernimus: Qui ritu graeco Clericus et Lector fuit tantum initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut majores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos (Acolytatus, Ostiariatus, et Exorcistatus) debet ritu latino suscipere. Si vero praeter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam graeco ritu ascendit, et ex dispensatione pariter Apostolica facultas sibi facta sit ceteros Ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per Subdiaconatum graeco ritu collatum, Acolytatum, et Ostiariatatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum, aut etiam Presbyteratum graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus Ordinem aut Episcopatum promovendus sit ex Apostolica concessione; nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecratur, esse supplendum.

§ 84. De Materia et Forma Ordinis.

Materia Sacramenti Ordinis est manuum impositio, Forma vero sunt Ecclesiae preces, quibus in-

vocatur et datur Spiritus Sanctus juxta Euchologia Graecorum, quas, sacra Sedes Apostolica non modo idoneam formam Sacramenti constituere non controuertit, quin potius juxta eadem Euchologia adprobata Graecos ordinari praecipit.

§ 85. De Ministro Sacramenti Ordinis.

Minister Sacramenti Ordinis est Episcopus proprii ritus, quoad quem notandae sunt sequentes regulae: 1) Hominem unius ritus non posse licite ab alterius ritus Episcopo ordinari. 2) Ordinatam ab alterius ritus Episcopo suspensum manere, ac ita ministrantem fieri irregularem. 3) Idem dicendum si sine proprii Episcopi dimissionis ordinetur. 4) Requiritur dispensationem ab Apostolica Sede, ut quis rite ab alieni ritus Episcopo ordinetur. 5) Ordinatos ab haereticis et schismaticis servata debita materia ac forma valide esse ordinatos, sed manere ab Ordinum exercitio suspensos; nec posse, dum in Orthodoxae Ecclesiae communionem recipiuntur, Ordines exercere, nisi prius ab irregularitate dispensentur. 6) Demum apostatas, et ad haeresim lapsos dum ad Ecclesiam redeunt non esse iterum ordinandos, quippe ex haeresi, vel apostasia non amittitur Ordo, qui indelebilem praesert characterem.

§ 86. Disciplina Ecclesiae Orientalis, circa Matrimonium Sacramentum; Matrimonii Definitio.

Matrimonium Orientalibus est conjunctio maris et feminae, et omnis vitae consortium, divini et humani juris communicatio, sive per benedictionem,

sive per coronationem, sive per instrumentum contrahatur. Quae autem praeter hosce modos facta sunt, pro non factis et contractis habeantur. — Haec definitio est juxta Codicem Justiniani.*) Alias Matrimonium, si spectetur generice tamquam naturae officium et prout est contractus naturalis ac civilis, stricte definitur. = Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuum vitae consuetudinem retinens. Cum vero in lege evangelica hujusmodi maritalis conjunctio a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem fuit elevata, et reuera pro baptisatis ratio contractus conjugalis a ratione Sacramenti separari nequeat, ideo Christianorum conjugium definiri seu describi solet. = Viri et mulieri maritalis conjunctio inter legitimas personas individuum vitae consuetudinem retinens a Christo Domino in lege Evangelica ad Sacramenti dignitatem elevata = vel = Sacramentum novae legis, quo significatur conjunctio Christi cum Ecclesia, et gratia confertur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam conjunctionem et ad prolem in Christiana fide pietate instituendam.

§ 87. Corrollaria ex Definitione Matrimonii.

Matrimonium ergo Christianorum est Sacramentum novae Legis conjunctionis maritalis viri cum muliere ex sententia Ecclesiae perfectae. Dicitur Matrimonium Christianorum, quoniam soli christiani sunt capaces Sacramentorum; dicitur Sacramentum novae Legis, quale esse dicit S. Paulus in Epistola ad Eph.

*) Vid. Math. Blastares Syntagma Lit. B. Cap. II. apud Bevereg Tom. II.

C. 5. v. 25. Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo et Ecclesia, ideo monet hic Apostolus: Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam; tale namque vinculum intercedit inter virum et mulierem sicut inter Christum et Ecclesiam; sive, quemadmodum Christus ab Ecclesia indissolubilis est, ita vir mulieri et vicissim invinculatus est. Conformiter proinde doctrinae Apostolicae inquit S. Augustinus. „Apud christianos Matrimonium est etiam in dignitate Sacramenti, per quam nefas est repudio discedentem alteri nubere; sive causa indissolubilitatis Matrimonii Christianorum est Sacramentalitas, quae ipsi Matrimonio inest, secundum doctrinam Salvatoris Math. Cap. XIX. v. 6. Matrimonium per Deum conjugii, quod homini separare non licet. Dicitur porro Matrimonium conjunctio maritalis sive conjugalis, ut distingvatur a quacunque alia conjunctione temporali, quaeve finem habet generationem et educationem prolium christianam, et idividuum vitae consortium. Dicitur denique Matrimonium conjunctio maritalis ex sententia Ecclesiae perfecta; jam enim S. Ignatius Martyr monuit. Conjugia fieri ex sententia Ecclesiae, ut nuptiae sint secundum Deum, et non secundum concupiscentiam. Sive, illa tantum conjugia sunt Dei voluntate et conjunctione inita, quae probat Ecclesia, cujus est conditiones digne et valide suscipiendi Sacramenti defigere. Quamvis autem conjugia a Sacerdote non benedicta, non contracta videlicet coram Parocho ac testibus sint prorsus prohibita, graviter peccaminosa atque illicita, tamen ubi non viget Concilli Tridentini Decretum „Tametsi“ (sess. 24. de reform. matrim) hujusmodi matrimonia,

quae vulgo clandestina dicuntur, juxta Ecclesiae declarationem valida censeri debent.*)

§ 88. De Ministro, Materia, et Forma Sacramenti Matrimonii.

Ministrum Sacramenti Matrimonii prout reliquorum Sacramentorum, Orientales Sacerdotem esse tenent, quam sententiam eruditissimi quoque Theologi Latini propugnarunt, juxta quorum sententiam Materia hujus Sacramenti est consensus mutuus, Forma vero preces per Sacerdotem qua Ministrum prolatae, in specie precatio, quam Goarius pag. 317. ex Graeco genuine versam sic exhibet: „Deus sancte, qui e pulvere hominem formasti, et ex ejus costa mulierem aedificasti, copulans eam illi ut adjutorium simile ipsi, quia sic magnitudini tuae placuit, non esse hominem solum super terram: ipse nunc Domine, emitte manum tuam de sancto habitaculo tuo, et consocia servum tuum N. et ancillam tuam N. quia a te viro coaptatur mulier. Copula illos unanimi consensu: corona illos in carnem unam, tribue illis fructum ventris, prolis fruitionem.“ Non desunt tamen etiam inter Orientales, qui ipsos contrahentes Ministros esse Matrimonii tenent, atque juxta hos Materia hujus Sacramenti est consensus conjugum mutuus, forma vero, verba quibus consensum suum mutuum in Matrimonium de praesenti declarant. Pro qua sua sententia proferunt argumenta: Eugenius IV. in Decreto pro

*) Consul Bened. XIV. de S. D. lib. 8. C. 12. et Instructio de propaganda fide Episcopis provinciae Albo-Julienensis 1858.

instructione Armenorum post Concilium Florentinum edito enunciavit: Causam efficientem Matrimonium esse mutuum contrahentium consensum per verba de praesenti expressum, Unde concludunt consensum ipsum contrahentium esse Materiam, formam vero declarationem consensus per verba de praesenti factam: Ego sponsus accepto sponsam N. in uxorem. Ego sponsa accepto sponsum N. in Maritum. Cui concordat Codex Graecus qui dicit: Nuptias matrimonialis conjugum consensus facit*) hinc, Minister Matrimonii ille est, qui facit Matrimonium, seu contrahentes per consensum mutuum invicem praestitum et verbis, sive forma enunciatum. Ex eo autem, quod Eucharologia Ecclesiae Graecae prout et Latinae ritum sacrum Matrimonii exhibeant, atque ex inde, quod ad valorem Matrimonii ritus hujus persolutio legibus praescripta erat et sit, haud necessario concluditur Matrimonii Sacramenti Ministrum esse debere Sacerdotem; non enim Sacramentum distinctum est ab ipso Matrimonio, ita ut precibus Sacerdotis et benedictione Sacramentalitas ipsi Matrimonio superinducatur, sed Matrimonium ipsum mutuo consensu conjugum ex sententia Ecclesiae perfectum per se ipsum Sacramentum sit; ob quod etiam Ecclesia non dicit septimum autem Sacramentum est Matrimonii, sed Matrimonium, quod Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti, atque restituit illud ad primam conditionem et indissolubilitatem, in qua Deus conjuxit primum Matrimonium in Paradiso. Porro dicunt posterioris sententiae propugnatores; si Sacramentalitas primum ritu sacro sacerdotali Matrimonio communi-

*) Math. Blast. Cap. 1. Lit. G.

caretur, neque Matrimonium Christianorum in se esset Sacramentum, ritus talis sacer semper obtinere debuisset, sed contrarium perhibet antiquitas, qua de re testimonium perhibet ipse Graecus Mathaeus Blastaris Cap. VIII. Lit. G apud Beveregium inquires: Eninvero antiquis temporibus nuptiae solo consensu coibant. At nostro tempore non contrahuntur absque sacris precibus; ergo dicendum esset juxta priorem sententiam Matrimonium usque ad praescriptos sacros ritus nen fuisse Sacramentum, quod absonum est. Dein si Sacerdos esset Minister hujus Sacramenti, per quemcunque etiam vagabundum Presbyterum benedictum validum esset, quod tamen ipsi non uniti negant, sed proprium Parochum requiri ut Matrimonium validum sit praescribunt.¹⁾ Sed et id considerandum esse dicunt, quod haereticorum ad Ecclesiam conversorum Matrimonia absque benedictione sacerdotali in haeresi adhuc inita, Ecclesia ritu sacro validari, et ad sacramentalitatem juxta priorem sententiam eodem ritu elevari non praescribat; eo tamen non obstante eadem Matrimonia ut sacramenta tractari jubet, et qua Sacramento indissolubilitatem adtribuit. Hinc concludunt hujus sententiae patroni, quales et Romani Theologi sunt²⁾ preces et sacros ritus matrimoniales non ipsas conficere matrimonium, ergo nec sacramentum, sed eas exprimere solum et celebrare sacramentalitatem, quae Matrimonio ipsi inest, gratiarumque ubertatem conjugibus a Deo efflagitare.

¹⁾ Vide Joannovits Jus Ecclesiasticum Neoplantae pag. 150.

²⁾ Vide Perone de forma hujus Sacramenti.

§ 89. De Polygamia.

Orientalis Polygamiam quoque successivam, id est plures nuptias successive initas reprobant; pro secundis quidem nuptiis habetur in Euchologiis praescriptus ritus, quas tamen ipsas post 45. aetatis annum reprobant; tertiae nuptiae censurae ecclesiasticae subjiciebantur, quartae vero tamquam brutales damnabantur. S. Basilius Canone suo LXXX. hac de re inquit: „Nuptiarum pluralitatem silentii caligine Patres obvelarunt, veluti bestialitatem et alienam ab honesta consuetudine, ampliusque quam scortationem esse puniendam.“ Juxta hodiernam praxim Episcopi dispensatione subvenitur, dum ea petitur, cum secus post Concilium Florentinum plures successive nuptiae prohibitaee non sint.*)

§ 90. De Sponsalibus.

Sponsalia juxta § 2. Instructionis pro Tribunalibus in Austria Matrimonialibus praescriptae definiuntur: „sunt conventio, qua mas et foemina sibi matrimonii inter eos ineundi fidem dant.“ Graecis sponsalia sunt promissio futuri Matrimonii sacerdotali benedictione roborata. Circa sponsalia memorata Instructio sequentia praescribit:

§ 3. Sponsalia valide iniri nequeunt, nisi per voluntatis declarationem libere, ac debita cum delibe-

*) Concilii Florentini speciale decretum ad Armenos: Declaramus non solum secundas nuptias, sed et tertias et quartas et ulteriores, licite contrahi, nisi aliquod impedimentum obstet.

ratione factam ab iis, qui matrimonium inter se valide ac licite contrahere possunt. Impuberum nomine inita impuberes ad Matrimonium contrahendum haud obligant, nisi, postquam ad pubertatem pervenerint, rata eadem habuerint.

§ 4. Sponsalia, licet jure jurando firmata sint, mutuo tamen consensu dissolvi possunt.

Nota. Graeci quidem Sponsalibus per Sacerdotem benedictis maximam virtutem mutuaque obligationem tribuunt, Quare S. Basilius per quamdam analogiam Canone 69. inquit: „Qui talia contraxit sponsalia si aliam ducat, aut si ea alteri nubat, vel una pars fornicetur, poenis adulterii subjiciatur.“ Canon autem 98. Concilii Trullani statuit: „Qui alteri desponsam mulierem eo adhuc vivo cui desponsata est, in nuptiarum ducit societatem, adulterii crimini subjiciatur.“ Etsi enim non revera ac proprie, tamen per quamdam similitudinem reus vel rea adulterii non immerito censetur, qui fidem sponsalium violare non timuit. Ceterum putant nonnulli allatis Canonibus sermonem fieri de sponsalibus de praesenti, nempe de matrimonio non consummato, neque ab hac interpretatione abhorrent Balsamon et Zonaras, quippe qui Beatissimam Virginem fuisse sponsam S. Josephi ad mentem Canonis asserunt, cum aliunde constet eam fuisse conjunctam per sponsalia de praesenti.

Quia vero Canones recensiti de sponsalibus per Sacerdotem benedictis, seu uti Orientales dicunt, interventu Dei patris sonant, hoc vero tempore juxta Euchologia Graecorum benedictio sponsaliorum immediate ante actum copulationis sponsorum peragitur, evenire vix potest, ut talia sponsalia rescindantur; non benedicta autem Sponsalia e sententia Graecorum mutuo consensu, tamquam privatae promissiones rescindi possunt. Expressus proinde paragraphus Instructionis disciplinam Graecorum haud afficit.

§ 5. Sub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicant.

Eadem est disciplina etiam Ecclesiae Orientalis, quae sic sonat: Dissidentibus parentibus in electione sponsae, patris valet iudicium; item: Paterfamilias sponsalia dissolvere potest, non etiam emancipatae.*)

§ 6. Quando una pars fidem sponso debitam violaverit, altera promissis stare non amplius tenetur. Quod si post sponsalia inita talis intercedat mutatio ut merito supponatur hoc obtinente rerum statu haud eventurum fuisse, ut ad sponsalia pacta procederetur, horum obligatio pro ea cessat parte, in qua ejusmodi mutatio haud contigit. Casu quo talia rerum adjuncta jam sponsalium initorum tempore locum habuere, parti cui ignota tunc fuerunt jus competit a sponsalibus resiliendi.

§ 7. Sponsi obligatione, quam sibi imposuerunt, non impediuntur, quin religionem ingrediantur, aut Deo in statu clericali militent. Professione religiosa, aut Ordinis sacri susceptione sponsalia dissolvuntur. Qua de re inquit Blastaris Canonista Graecus:*) „propter veram tonsuram (clericalem) et transitum ad vitam solitariam (monachalem) sponsalia solvuntur.“

§ 8. Matrimonio, quod una pars cum tertia quadam persona contrahit, sponsalia quidem dissolvuntur, salvum tamen permanet jus, quod alteri parti quoad damnum resarciendum pro re nata competit.

§ 9. A sponsalibus absque legitima causa resiliens, nec non qui legitimam resiliendi causam vel celaverit, vel sua culpa adduxerit, tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adjunctis damnum, quod resiliendo ipsi infertur.

*) Vide Math. Blastar. pag. 78.

§ 10. Obligatio standi promissis per contractum sponsalium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore. Quod si autem circumstantiae, quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exortae sint, haec alteri damnum, quod ipsi frustratis justis ejus expectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur.

§ 91. De Clericorum sponsalibus.

Qui de Clericis secunda sponsalia ante Ordines inchoat ad ultiores Ordines non promovetur.*) Quod de Lectore intelligendum est, Subdiaconus enim si sponsalia inire attentaret deponendus est.

§ 92. De Impedimentis Matrimonii.

Cum Christus Matrimonium elevaverit ad dignitatem Sacramenti, Ecclesia qua Sacramentorum dispensatrix leges praescripsit valide contrahendi Matrimonii Sacramenti. Prohibitio ergo Ecclesiae ab ineundo matrimonio, impedimentum est Matrimonii. estque impedimentum vel dirimens, quod, nullum reddit matrimonium, ac si contractum non fuisset; vel tantum impediens, quo prohibetur quidem, sive impeditur matrimonium, si vero tamen factum sit, illud non irritat.

§ 93. De Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Impedimenta dirimentia sunt alia juris naturalis, qualis est defectus naturalis sive incapacitas

*) Constitutio Synod. sub Joan. Xiphil. const. Patriarcha. vide Blastaris pag. 76.

absoluta ad respondendum scopo matrimonii praestandumque consensum matrimonialem, de quo late disserunt S. Canones, ac etiam lex Austriaca. Instructionis § 13. sic sonat: Amentes, furiosi, infantes, et quicumque impares sunt, talem, qualem rei natura exigit, consensum praestando, matrimonium contrahere nequeunt. — Sunt autem Impedimenta dirimentia etiam juris naturalis ac divini, prout videre est apud probatos Theologos. Denique sunt Impedimenta dirimentia juris ecclesiastici canonica compellata. Impedimenta dirimentia his versiculis complecti solent:

Error, conditio, votum, cognatio crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Haec facienda vetant, connubia facta retractant.

§ 94. De Impedimento Erroris.

Impedimentum Erroris contingit circa personam, dum per errorem aliam duxit personam, quam intendit; voluit ducere Liam, et duxit Semproniam, putans hanc esse Liam. Aut versatur error circa qualitatem personae puta nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem etcet. qualis tamen error non dirimit matrimonium, nisi sit consensus expresse ad certam qualitatem qua conditionem v. g. virginitatem alligatus. Potest autem error circa qualitatem aliquando redundare in ipsam personam, et in hoc casu dirimit matrimonium v. g. si quis ducere voluit primogenitam, et obtrusa est illi secundogenita. Lex Austriaca circa impedimentum erroris sic sonat.

Instructionis § 14.: Ne consensus detur, et matrimonium contrahatur, impedit error, qui versatur circa personam futuri Conjugis, aut qui in personam redundat. In personam autem redundat error in ea tantum qualitate, qua sola futuri conjugis persona determinatur.

§ 95. De Impedimento conditionis.

Conditio servilis ignorata, dum persona libera contrahit matrimonium cum persona serva putans esse liberam, dirimit matrimonium. Valet tamen matrimonium, si persona libera cognoscebat alterius servitutem. Ratio enim hujus impedimenti est, ut tollatur magna contractus inaequalitas, et ut impediatur gravis injuria personae liberae ignoranti illata, si quis autem sciens libere consentit in matrimonium cum serva, volenti non fit injuria. Nomine personae servae non intelligitur serva domestica, sed mancipium, servi stricte sumti, in quos dominus plenum jus habet vendendi, donandi, et quibuslibet operibus servilibus occupandi, quorum meminit et S. Paulus in suis Epistolis.*) De hoc impedimento Lex Austriaca, Instructionis § 15. sic enunciat: Quodsi contingeret, ut homo liber contraheret cum servo, vel serva, quos liberos putet, irritum foret matrimonium.

§ 96. Impedimentum Impotentiae.

Distingvenda est sterilitas, seu impotentia generandi, ab impotentia coeundi, seu copulam carnalem

*) Ephes. C. 6. v. 8. ad Coloss. C. 3. v. 11.

perficiendi¹⁾ prior, seu sterilitas non est impedimentum dirimens, posterior autem sive impotentia copulam carnalem perficiendi tunc est impedimentum dirimens, si sit matrimonium antecedens, atque perpetua, id est mediis naturalibus absque periculo mortis insanabilis. Est autem impotentia alia absoluta, respectu cujuscunque foeminae, et hoc in casu impotens est absolute incapax matrimonii, vel impotentia est tantum relativa, relate ad unam, vel aliquas tantum personas, et qui hac laborat, matrimonium cum his valide contrahere nequit, et si contractum sit, dirimitur. Circa hoc impedimentum textus legis Austriacae hic est:

§ 16. Impotentia debitum conjugale praestandi matrimonium antecedens et insanabilis, ne matrimonium valide contrahatur impedit.

Nota. 1) Observandum est nullitatem matrimonii declarari posse quando per inspectionem resultat ex signis visibilibus impotentiam esse physice certam; quando autem certitudo haec non est physica sed moralis, id est ex rationibus deducta, tunc admittitur juramentum partium et septima manus.²⁾ 2) Dubio post contractum matrimonium orto, num impotentia vera perpetuaeque sit, Ecclesia permittit, ut conjuges convivant per triennium, et an matrimonium consummare valeant experiantur.³⁾ Elapso triennio si inveniatur matrimonium non esse consummatum, id iudicio Ecclesiae, non sola partium voluntate dissolvitur; et pars copulae idonea, aut siquidem

¹⁾ Ad valorem matrimonii non satis est potentia vas foemineum penetrandi, sed requiritur potentia seminandi intra illud, et ex parte foeminae, potentia recipiendi semen. Sanchez.

²⁾ Schulte Eherecht pag. 94. et sequ.

³⁾ Justinianus Imperator biennium praescripsit. L. in causis C. de Repudiis. Vide Pravila C. 217.

impotentia relativa sit, pars utraque matrimonium cum alia persona poterit contrahere. Quod si autem alterutra pars petat separationem, et nolit triennio habitare, vel morale sit periculum incontinentiae, nullitas matrimonii pronuncianda est, dummodo verosimile sit impotentiam subversari, quod constabitur per juramentum utriusque conjugis se non posse coire, item juramentum propingvorum se credere conjuges verum fateri. 3) E principio, quod tantum insanabilis impotentia dirimat matrimonium, si contingat, ut pronunciata e capite impotentiae nullitate matrimonii, pars quae putabatur impotens potens evadat, prius matrimonium restaurandum est, si altera pars ad alia vota transivisset, eo, quod impotentia facto demonstrata tantum temporaria fuerit. Quam in rem Benedict. XIV. (de Syn. dioec. lib. 13. C. 21.) Non inficiamur inquit, soluto matrimonio ex capite impotentiae, quae iudicetur esse perpetua, si forte contingat, ut post novas nuptias a non impedito conjugate celebratas, conjux ille, qui perpetuo impotens credebatur, subeundis matrimonii oneribus reddatur idoneus, debere alterum illum conjugem, secundo thoro relicto, ad primi jura redire juxta sanctiones canonicas. Matrimonium enim ab impotente impeditoque contractum non alia de causa dirimitur, nisi ratione impotentiae impedimentique perpetui; nam si haec perpetua non esset, sed temporaria, nullus profecto fuisset locus matrimonii vinculo dissolvendo, itaque impotentia impedimentoque cessantibus secundi matrimonii nullitas detegitur et primi stabilitas reviviscit.

§ 97. Impedimentum aetatis.

Ad matrimonium sacramentum requiritur corporalis et spiritualis maturitas, quae in certa solum aetate supponitur, quam Ecclesia determinat; qui igitur infra defixam aetatem matrimonium ineunt, impedimento aetatis laborant, eorumque matrimonium irritum est. Aetas haec 14. pro masculino, et 12 annorum exactorum pro sexu muliebri defixa est, nisi malitia praevertat aetatem, ut Canonistae exprimunt,

seu praematuritas ante defixam aetatem coram Episcopo dioecesano probetur, qui in dubio rem ad Sedem Apostolicam pro sententia declaratoria perferre debet. Quoad hoc impedimentum Synodus provincialis Graeco catholicorum, Ruthenorum, Zamosciae an. 1720. „Si quis non habuerit aetatem legitimam, vir scilicet 14 annum completum, femina vero 12. nullatenus admittatur ad contrahendum. Idem etiam Synodus graecorum Maronitarum de anno 1736. praescripsit. Legis autem Austriacae tenor sequens est:

§ 17. Cum pueri, qui decimum quartum, et puellae, quae duodecimum aetatis annum nondum absolverint, de regula neque physice ad matrimonium apti, neque ii sint, qui matrimonii contrahendi vim, prout decet intelligant, de jure ad matrimonium inhabiles censentur. Quodsi autem unquam eveniret, ut hac aetate minores et physica et morali ad matrimonium aptitudine pollerent, nihilominus, nisi desuper ab Episcopo dioecesano, vel ab ipsa Apostolica Sede sententiam declaratoriam tulerint, matrimonio jungi non possent.

Nota. Praescriptiones civiles interdum propter impedimentum militiae in canonica licet aetate matrimonium prohibent, quae etsi non irritent matrimonium juxta canonicas leges contractum, observandae tamen sunt, ad evitandas etiam poenas in transgressores civiliter statutas. (Vide Instruct. § 69 et 70.)

§ 98. Impedimentum vis et metus.

Jure naturali et positivo, consensus in matrimonium a plena libertate ejus, qui matrimonium init, promanare debet; coactio igitur ad nubendum, quae fit illata vi, aut incusso metu, irritum reddit matri-

monium; coactio fit per vim, si verberibus, animi et corporis afflictionibus, ab iis quorum potestati quis subest inflictis consensus extorqueatur; metu vero fit coactio comminatione gravis mali, quod certe contingeret, nec evitari posset. Metus autem debet esse gravis, qui cadit in virum constantem, cum nonnisi talis metus praesumptionem admittat consensum haud libere, sed coacte, invite fuisse praestitum, sicque consensum non verum sed fictum fuisse. Est autem metus absolute, vel solum relative gravis; hinc cognitio, num in speciali casu, spectata individualitate personae, et teneritudine, praetensus metus gravis, aut solum levis reputari debeat, Judicis judicio relicta est, ex principiis tamen et indiciis certis, quae arbitrium judicis regulant, qualia sunt: metus mortis cruciatus, mutilationis, verberum; porro metus servitutis, vinculorum, metus stupri, infamiae, metus amissionis patrimonii, exheredationis, confiscationis bonorum et exilii. — Metus autem debet esse injuste incussus, nam juris executio non parit injuriam, verbi gratia: si quis certam personam gravidam reddidit, et haec minetur, ni illam uxorem duceret eum prodituram; si igitur e metu pudoris et prostitutionis eandem ducat personam, non est metus injuste incussus.

Metus reverentialis erga parentes, avos, dominos, praelatos, tutores, si conjunctus sit cum precibus importunis, aut continua animi afflictione, et molesta cohabitatione, eo quod nolit designatae personae nubere, gravis est metus et matrimonium dirimit.

Quoad hoc impedimentum sequens est tenor Instructionis § 18.: Consensus, ad quem exprimendum quis, a quocunque per malum magnum et inevita-

bile injuste ipsi vel illatum, vel intentatum compellitur, ad matrimonii vinculum nectendum haud sufficit.

Quaeritur autem, an matrimonium ex gravi metu initum, subsequente copula vel cohabitatione ratificetur? Communis est canonistarum sententia: si post matrimonium, quod ex metu gravi injuste incusso contractum habeatur copula sponte et affectu maritali, vel conjugali, seu animo vivendi conjugaliter fiat, omnino validari matrimonium, quia copula consensum in matrimonium supponit. Quod si vero non sponte et libere, sed gravi metu subsequatur copula, non ratificari matrimonium, quia si positivus consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem matrimonii, multo minus valebit tacitus consensus qui per copulam habetur, si pari extorqueatur metu,

Matrimonium autem ratione metus invalidum validatur per spontaneam cohabitationem etiam sine copula, quia cohabitatio spontanea est signum sufficiens novi consensus, qui solum ad matrimonii valorem consideratur. Ut autem matrimonium per cohabitationem aut copulam ratificetur, requiritur, ut pars metum passa sciat matrimonium fuisse nullum, et invalidum; si enim ex errore, quo existimabat validum fuisse matrimonium, cohabitet aut copulam admittat, nunquam ratificabitur prius matrimonium. Rationem addunt canonistae, quia nihil tam contrarium est consensui quam error, atqui cum pars metum passa vel cohabitatur, vel alteri copulatur, qui existimat se legitimo matrimonio copulatum esse, revera operatur ex errore, qui ad errorem personae reducitur, cum putet se consentire in eam quae sua sit, et quae tamen sua non est.*)

*) Antoine pag. 308.

§ 99. Impedimentum Raptus.

Ex defectu liberi consensus matrimonium inter raptorem et raptam dirimitur; est autem raptus violenta abductio personae invitae contrahendi matrimonii causa, quamdiu rapta persona, etsi libere posthac consentiens est in potestate raptoris. Valet autem matrimonium cum raptore, si rapta postquam loco tuto restituta est, extra potestatem raptoris libere in nuptias consentiat. S. Basilius Canone XXII. inquit: Eum, qui mulierem ex raptu habet, non oportet ad poenitentiam admittere prius, quam ab ea separetur. Quod si alteri prius desponsata fuerit, ejus in potestatem reddi debet, si modo eam recipere velit; sin autem adhuc nulli desponsata fuerit, ad parentes redeat, vel ad alios, qui eidem sanguine juncti sunt, et siquidem illi raptoris affinitatem expetant, constitutur matrimonium si modo illa consenserit*). Observandum est: Impedimentum raptus eo modo quo nunc viget invectum esse a Concilio Tridentino, ac proinde obligat Ecclesiam Orientalem, quatenus idem Concilium Orientalem Ecclesiam obligat in omnibus iis rebus, quae fidem et mores respiciunt. Lex autem, Instructionis § 19. sic sonat:

Mulier, quae matrimonium ineundi causa rapta fuerit, cum raptore quamdiu in ejus potestate manserit matrimonium valide contrahere nequit. Rapta censenda est mulier, quae violentia ipsi illata vel abducitur, vel in loco ad quem dolo allecta est detinetur; nec non ea, quae a viro, cui ante facinus rite desponsata haud fuit, ipsa licet consentiente, insciis tamen vel invitis parentibus, seu tutoribus abducitur.

*) Confer. Can. XI. Conc. Ancyran.

Ergo raptus committitur non solum per violentam abductionem, sed et per allectionem et fraudem, (raptus seductionis seu subornationis). Ut autem raptus sit impedimentum dirimens, requiritur, ut abductio fiat fine contrahendi matrominii, non autem explendae libidinis; atque raptus tunc quoque est impedimentum dirimens, si rapta non invite imo consentienter, insciis tamen, vel invitis parentibus aut tutoribus abducatur*).

§ 100. Impedimentum Ligaminis.

Impedimentum ligaminis est vinculum prioris matrimonii sive consummati, sive rati tantum, sed validi; hinc irritum, nullumque est matrimonium, quod superstite legitimo conjuge initur, etiamsi prius solum fuerit ratum, posterius etiam consummatum. Quocirca, si quis bona fide mortuam uxorem existimans, accedente etiam iudicis ecclesiastici auctoritate ad alias transierit nuptias, errorem edoctus, relicta hac, ad priorem conjugem redire debet; polygamiam enim Christi religio proscripsit. De hoc impedimento Instructionis § 20. ait:

Matrimonii vinculum eodem junctos ad aliud matrimonium ineundum inhabiles reddit.

Vinculum autem prioris matrimonii cessat 1) per mortem unius conjugis, 2) quoad matrimonium ratum nondum tamen consummatum etiam per professionem religiosam (monachalem) unius conjugis; Duplex in-

*) Nota: Cum Instructio Austriaca vim legis non habeat, per eam definita non est quaestio in jure communi controversa quoad raptum seductionis mulieris non desponsatae consentientis contra parentum voluntatem.

quit Natalis Alexander, in Matrimonio vinculum inveniri; alterum spirituale, quod solo consensu, alterum carnale, quod copula stringitur. Carnale sola mors corporis solvit, ut docet Apostolus ad Romanos 7-o: Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Spirituale autem vinculum spirituali morte solvitur, qua nimirum aliquis, mutatione status, a civili conversatione ita removetur, ut ad eam redeundam spem et potestatem ultra non habeat, quod fit solum per professionem religiosam, qua quis se Deo devovens ita mundo mortuus est, ut jam nec sui corporis potestatem habeat, quod Deo per votum castitatis consecravit, ac solemni ritu tradidit. Et Benedictus XIV. ¹⁾ ait: Integrum est mulieri, quae matrimonium celebravit, non autem et consummavit in monasterium se recipere, ibique solemnia religionis vota nuncupare; per hanc autem votorum nuncupationem matrimoniali vinculo vir solvitur, ipsique liberum est ad alias nuptias convolare ²⁾. Leges quidem civiles Orientalium ulterius progressae sunt, matrimonium etiam consummatum professione religiosa dissolvi statuente Novella 23. Justiniani C. 4. quam tamen legem rejecit Ecclesia ³⁾. Cur autem matrimonium non consummatum per professionem religiosam solvatur, rationem reddit Innocentius III ⁴⁾. „Conjugium illud inquit, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum

¹⁾ De Synodo dioec. Libr. 13. C. 12.

²⁾ Vid. Kutschker pag. 270. Tom. I.

³⁾ S. Gregorius Magnus L. 9. Epist. 39. et 44.

⁴⁾ Cap. Debit. Extravag. De Bigamis non Ordinandis.

et Ecclesiam, per incarnationis mysterium est contractum“, ideo etiam Pontificis dispensatione dirimi potest. Qua de re Instructio pro tribunalibus matrimonialibus § 21. sic sonat:

Vinculum matrimonii valide contracti sed nondum consummati per solemnem religionis professionem alterius conjugis, vel summi Pontificis dispensatione dirimitur. Matrimonium a Christianis contractum, postquam consummatum fuerit, non nisi morte solvi potest.

Nota 1) Ex eo, quod matrimonium in conceptu catholico ratum, consummatumque non nisi morte sit dissolubile; enunciatio nullitatis matrimonii per tribunal A catholicum quoad Catholicos conjuges, dum adhuc vel uterque, vel unus conjugum A catholicus erat, facta, invigorosa est, nec matrimonium eorum dirimit. Quocirca Instructionis § 22. ait:

„Quodsi Christiani non Catholici autem, matrimonii vinculum solvi posse, Ecclesia errantes deplorat, verum pati nequit, ut error legis suae sanctitatem contamine. Inter catholicum et Christianum non catholicum, qui conjugem superstitem habet, matrimonium consistere nequit, licet tribunal, apud quod causae matrimoniales Christianorum non catholicorum tractari solent, separationem quoad vinculum pronuciaverit.

Nota 2) Sed neque infidelium matrimonium legitime contractum dissolvitur ex eo, quod alter conjugum ad Christi fidem convertatur et baptisetur, unde Apostolus (Cor. I. C. 7.) hortatur conjuges ad fidem conversos ut non dimittant conjuges infideles cohabitare volentes. Quodsi infidelis discedit, discedat. Si conjux nimirum infidelis canonicè interpellatus a conjugè converso, num voluerit ad fidem converti vel saltem innocue ac sine contumelia Creatoris cohabitare, utramque conditionem obfirmate recusat, tunc ob privilegium in favorem fidei a Christo concessum ac ab Apostolo promulgatum, integrum erit conjugi converso ac baptisato ad alias nuptias, cum persona tamen Catholica, convolare, et sic solvitur vinculum

prioris matrimonii in infidelitate contracti*). Qua de re § 23. Instructionis sonat:

Quum per Sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur, matrimonium ab infidelibus contractum conjugibus ad Christum conversis firmum manet non obstantibus impedimentis ecclesiastica lege institutis. Quodsi autem altero tantum conjugè converso alter in infidelitate persistens cum eodem cohabitare interpellatione neglecta omnino renuat aut cohabitare nolit absque contumelia Creatoris, eidem petenti concedendum est ut ad novas convolet nuptias; quibus rite celebratis, vinculum conjugii in infidelitate contracti dirimitur.

§ 101. Impedimentum Ordinis, et Voti, seu Professionis Monachalis.

Num in Ecclesia Orientali etiam Ordo sit impedimentum dirimens matrimonii, disputant Theologi et Canonistae. Equidem e Canone III. Concilii Trullani dubium esse non potest matrimonium post Ordines sacros Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum initum non modo irregularem facere ordinatum, sed ipsum matrimonium irritum esse et nullum. Ipse enim Imperator provocavit Patres Concilii Trullani ut dedecus a Sacerdotibus avertant, qui se nefariis nuptiis post Ordines implicarunt; ad quam provocationem Patres Concilii pro praeterito veniam faciunt illis Presbyteris bigamis, qui uxorati susceperunt Ordines, post hos autem iterum duxerunt uxorem, sed iis tantum, qui errorem suum ante latum hunc Canonem agnoverunt, pro eo poenitentiam egerunt atque adulterinam, et alienam congressionem abegerunt.

*) Consul. Bened. XIV. de Synod. Lib. VI. Cap. 4. a Num. 3. et Lib. XIII. Cap. XXI.

Quae expressio „adulterina congressio“ per Patres Concilii hujus adhibita, manifeste nullitatem connubii post Ordines initi satis indicat. Dein addit Concilium: „Eos autem, qui post ordinationem uni matrimonio se applicarunt (ante Concilium hoc) Presbyteros, Diaconos et Hypodiaconos brevi aliquo tempore a sacro ministerio prohibitos et punitos rursus (per veniam) propriis gradibus restitui ad alium gradum nunquam promovendos, eis nefario manifeste dissoluto conjugio.“ Nefariae autem nuptiae juxta Codicem legum orientalium sunt nuptiae invalidae prout refert Blastaris pag. 54.: „Lex inquit, quae nefarias, contraxit nuptias, solvere matrimonium potest, et alteri deinceps nubere.“ Quis ergo ex hoc Canone Concilii Trullani validitatem matrimonii post Ordines initi asserere audeat? cum Concilii hujus Patres tale connubium nefarium, adulterinum, et qua tale etiam pro praeterito solvi jubeant. Quem Canonem sic interpretantur etiam graeci-non-uniti, recentissime quidem Metropolita Valachiae proscriptis Librum, cui titulus: „Elementa Juris Canonici“ ab Andrea Saguna Episcopo non-unito Transsilvaniae 1855. pro suo Clero Cibinii editum, ob hanc imprimis rationem, quod in eodem libro per Episcopum Saguna statuatur: Matrimonium Clericorum post sacros Ordines initum validum esse, quae assertio fidei et sensui Ecclesiae Orientalis Canonibusque adversetur. De qua proscriptione sui libri conqueritur Saguna in secunda sua praefatione ad eundem librum pag. XI. Ideo Benedictus XIV. Constitutione sua „Eo quamvis tempore“ § 49. merito observavit: „Cum apud fideles etiam Ecclesiae Orientalis, nulla sint et irrita matrimonia post Ordines sacros celebrata, dispensatio grave illis scandalum ingereret, et acerbe quererentur maxi-

imum infligi vulnus ecclesiasticae disciplinae¹⁾. Adeoque mirandum est, quod nonnulli ad doctrinam Romanorum Pontificum appellent pro demonstrando, conjugium post Ordines initum validum esse²⁾. Quam parum enim Romani Pontifices hujus sententiae sint, testis est ipse supra provocatus Benedictus XIV. Pontifex, qui in Const. „Etsi pastoralis“ pro Italo-graecis decernit; Praeterea si quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter post sacram Ordinationem uxore mortua aliam duxerit, vel si uxorem non habeat ducere praesumserit, statim ab Ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus, matrimonium enim post recensitos Ordines nullum, irritumque declaramus.“ In Constitutione autem pro Coptis verum est ab Apostolica Sede decretum esse; Recurrant ad Apostolicam Sedem in casibus particularibus, in quibus, si ob graves causas super matrimonio inito post Ordines sacros concedenda dispensatio videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus.“ Verum quis non videt in hoc ipso decreto, nullitatem matrimonii post Ordines contracti, pro omnibus graecis et toto orientali ritu comprehendi, in quantum in particularibus casibus e rationibus gravissimis tantum, ab impedimento Ordinis, quod est constitutionis sive legis ecclesiasticae, in quo proinde suprema in Ecclesia potestas summus Pontifex dispensare eo magis potest, quod non quidem apud Apostolicam Sedem, uti patuit e supra citata Benedicti XIV. Constitutione pro Italo-Graecis, sed apud Graecos controversa res esset, di-

¹⁾ Vide Pravila Cap. 124. pag. hujus Operis 83.

²⁾ Samuel Klein de Szád in sua Dissertatione de Matrimonio Vindobonae 1781. edita.

spensatio petenda est. — Porro idem Pontifex prosequitur: „An matrimonium in Ecclesia Orientali post Ordinem sacrum contractum perinde nullum sit, ac in Ecclesia Occidentali, an potius sit solummodo illicitum? licet Tribunalia hujus almae urbis (Romae) opinioni eorum adhaereant, qui haec matrimonia nulla existimant, nihilominus satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem, conditio renovationis consensus non exprimatur*). Ex qua clausula „Satius visum est“ perinde nihil pro contraria sententia inferri potest, cum recte per dispensationem hanc exceptive concedibilem, ipsum impedimentum dirimens sufferatur, et convalidari potest matrimonium sine renovato consensu, quod etiam aliis ex titulis evenire solet, dum matrimonium per dispensationem Pontificis in radice sanatur; adeoque hac ipsa summi Pontificis enunciatione Ordinem, etiam pro ritu orientali impedimentum dirimens esse comprobatur, cum secus dispensatione Apostolicae Sedis ab eo, opus non esset.

Unde autem invaluerit ut in quibusdam regionibus Ecclesiae Orientalis matrimonia etiam post majores Ordines contracta tolerarentur (in aliis enim prout supra de Valachia dictum est, non tolerantur) fontem detegit Balsamon, ad Canonem VI-tum Concilii Trullani inquit: „Vigesimus sextus Canon SS. Apostolorum decernit, ut soli Lectores et Cantores legitima matrimonia contrahant. De aliis autem Clericis nihil dicit. Et propterea eorum (Apostolorum nempe) doctrinam sancti Patres consequenter extendentes, hic quidem Lectores et Cantores uxores ducere posse decernunt; nullum autem alium praeter hos,

*) Vide Kutschker 3. Band Eherecht § 135.

sive Hypodiaconum, sive Diaconum, sive Presbyterum, post Ordinationem legitimam uxorem accipere, vel propter Canonis transgressionem deponi.

Quomodo autem hi degunt, qui Ordinationem recusant et uxores accipiunt; disces ex septvagesima nona Imperatoris Leonis sapientis Novella, haec partim expresse dicentis: „non admittentes ergo hac in re veterem legislatorem (Justinianum), qui vult Presbyterum, vel Diaconum, vel Subdiaconum, post sui ordinationem uxori conjunctum, a tali omnino habitu recedere et ad vitam laicam converti, decretum infirmamus: sancimus autem sufficientem eis esse poenam, si solo Ordine careant, in quo ante matrimonium dignoscebantur; non autem a clericali habitu et alio in Ecclesiis ministerio, quod tangere non est illicitum, omnino alieni esse condemnentur. — Est autem lex quae ab hac Novella sublata est Cap. XXX. tit. XI. Libr. III. Basilic, quod est XXVII. Novellae Justiniani XXIII., cujus tenor est: „Si Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, matrimonium contraxerit, et poenae Canonum obnoxius erit, qui non minus quam leges valent, et Sacerdotium amittit. Quin etiam liberi, velut ex incestis et nefariis nuptiis procreati, neque spurii sunt, neque per successionem aut donationem aut mutuum fictitium, aut aliam obligationem, quidquam a patribus vel ipsi, vel eorum matres accipiunt: sed ejusmodi res Ecclesia ipsorum vindicat.“ Justinianus Imperator igitur nullitatem matrimonii post Ordines recensitos contracti etiam quoad effectus civiles enunciat, atque proles ex tali matrimonio genitas nec pro naturalibus quidem, quales sunt ex concubinato genitae, relate ad successionem in bonis parentum, haberi decernit, ab omnique hereditate proscibit.

Novella autem Leonis sapientis priorem legem cassantis saltem sacris Canonibus, qui talia matrimonia post Ordines indicatos contracta, incestuosa, adulterina, nefaria, ac proinde invalida et dissolvenda pronunciant, derogare non potest; nec possunt convalidari per legem civilem matrimonia per sacros Canones constanter prohibita*) prout Can. SS. Apostolorum 26. Trullanus 3. 6., postquam Patres Trullani Canone XXVI. aperte enunciarunt: „Manifestum esse, quod nefarium conjugium; quale juxta Canonem III. ejusdem Concilii supra citatum, est etiam matrimonium post Ordines majores contractum, dissolvi debeat, nec vir, idest Clericus, cum ea ullo modo consuetudinem (maritalem) habere possit, ob quam sacra operatione privatus est.“ Quibus Canon I. Synodi Neocaesariensis, cujus tenor est: „Sacerdos si duxerit uxorem deponatur tantum, sed non simul ob hoc, honore Clericali exuatur,“ extra vigorem positus. Lex enim posterior derogat priori, atque posteriori Canonicae sanctioni adductae Concilii Trullani, nec per subsequentem Constitutionem Leonis Sapientis derogari potuit, cum Imperantes civiles jure destituantur Canones Ecclesiae mutandi, neque lex civilis contra Canones valere possit, dum de disciplina Clericorum agitur. Unde patet, Canonibus conforme esse, quod matrimonia talia in Valachia, ac Dioecesibus Graeco-Catholicorum Hungariae et Galiciae, aliisque non tolerantur, nec talem indisciplinam introduci admittatur, idque conformiter convictioni ipsius Ecclesiae Orientalis; juxta Codicem enim „Pravila“ (Commune Directorium Legis,) Glava, seu Capite 124. puncto 5-to: haeticis accensentur illi, qui cre-

*) Confer. § 50. Partis 1-ae hujus Operis.

dunt Presbyteros, et Diaconos posse alteras ducere uxores. (Vide pag. hujus Operis 83. C. 124.)

Imo Synodus etiam Ruthenorum Zamoscensis anno 1720. diserte statuit: „Si quis Presbyter post collatos Ordines matrimonio jungi, aut prima uxore defuncta, secundas incestas nuptias inire praesumserit, per Episcopum a communione atque altari arceatur, poenisque canonicis afficiatur, ut peregrinam spuriamque conjunctionem abjiciat. Idem et Synodus Maronitarum 1736. decrevit.

Relate ad impedimentum professionis religiosae seu monachalis, sive voti solemniter perpetuae castitatis, Canon XLIV. Concilii Trullani statuit: „Monachus fornicationis convictus, vel qui ad matrimonii communionem vitaeque societatem uxorem duxit, fornicationis poenis subjiciatur.“ Manifeste ex hoc Canone colligitur Monachi professi subsequum matrimonium, non matrimonium, sed fornicationem, concubinatum esse, ideo per Canonem poenae fornicantium ei infliguntur, Concilium ideo Maronitarum de anno 1736. statuit: „Quemadmodum vivente conjuge post matrimonium consummatum nulla unquam ex causa licitum est alteri ad alias nuptias transire, ita Clerici in sacris Ordinibus constituti, vel Monachi, Monialesque castitatem solemniter profitentes matrimonium contrahere nullomodo possunt. Quod si attentaverint, irritum et nullum est hujusmodi matrimonium.“ Quod etiam Pravila aperte enunciat Glava seu Cap. 123. sequentibus: „Monachus vel Monialis si deserto monasterio matrimonium inierit, hoc non pro matrimonio sed pro adulterio reputetur, et si non dimiserit talis Monachus sociam adulterii, excommunicatus sit.“

De his impedimentis Ordinis et voti Instructio Austriaca § 24. praescribit:

Clerici in majoribus constituti, et Regulares, qui vota solemnia emisissent, ad matrimonium ineundum habiles non sunt. In quantum vota simplicia in Congregatione regulari (Jesuitarum) emissa, cum per exceptionem sortiantur effectum ut matrimonium irritent, secundum statuta Ordinis a Sede Apostolica approbata dijudicandum est.

§ 102. Impedimentum disparitatis cultus.

Cultus disparitas lato sensu obtinet non tantum inter Christianos baptisatos, et nonchristianos non baptisatos, sed et ipsos Christianos catholicos et a catholicos, haereticos nempe et schismaticos, cum quibus matrimonium inire Catholica Ecclesia semper prohibuit. Sic Concilium Laodicenum Canone 10. statuit: „Non oportet eos, qui sunt in Ecclesia, suos filios haereticis matrimonio jungere.“ Et Canone XXXI.: „Non oportet cum haeretico matrimonium contrahere, vel dare filios et filias, sed potius accipere, si se Christianos futuros profiteantur.“ Canon autem LXXII. Concilii Trullani decrevit: „Non licere virum Orthodoxum cum muliere haeretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro haeretico copulari. Neque enim ea, quae non sunt miscenda misceri, nec ovem cum luppo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet. Si autem aliqui, qui adhuc infideles sunt, et in orthodoxorum gregem nondum relati, sunt inter se legitimo matrimonio juncti; deinde hic quidem eo quod est honestum electo ad lucem veritatis accurrerit; ille vero erroris vinculo detentus

fuerit, nolens divinos radios fixis oculis intueri, si infideli uxori placet cum viro fidei habitare, vel vice versa viro infideli cum fidei uxore, ne a se invicem separentur juxta divinum Apostolum. Nam sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem¹⁾. Haec tamen prohibitio Ecclesiae scripta impedimentum dirimens matrimonii non constituit, et negari nequit prima Ecclesiae Christianae aetate matrimonia inter christianos et nonchristianos inita fuisse. S. Caecilia, nupsit Valeriano adhuc ethnico. S. Monica mater S. Augustini, pariter nupta erat ethnico Patritio. S. Clotildis, nupsit etiam adhuc pagano Clodoveo Regi Francorum, primumque Imperatores christiani Valentinianus, Theodosius et Arcadius lege positiva Christianorum cum Judaeis matrimonium sub crimine adulterii prohibuerunt (Leg. 6. Cod. de Judaeis) sunt verba legis: „Ne quis Christianam mulierem Judaeus accipiat; neque Judaeae Christianus conjugium sortiatur, nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujusmodi crimen obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.“ Unde sensim invaluit in Ecclesia consuetudine potius quam lege scripta impedimentum hoc dirimens disparitatis cultus, quod sensu strictiori inter christianos et nonchristianos, seu quosvis non baptisatos obtinet, prout Benedictus XIV. (Const. de 6. Febr. 1749.) sequentibus indicat: „Qua quidem in re omnes²⁾ sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non qui-

¹⁾ S. Paulus ad Corinth. C. 7. v. 14.

²⁾ Stapf über die Ehe pag. 185.

dem jure sacrorum Canonum sed generali Ecclesiae more, qui pluribus ab hinc seculis viget, ac vim legis obtinet." Hoc impedimentum enunciatur etiam est in Concilio Maronitarum de anno 1736. verbis: Cultus disparitas, idest, matrimonia Christianorum cum non baptisatis, sive Judaei sint, sive infideles cujuscunque sectae, sive etiam catechumeni." Circumscribitur autem hoc impedimentum a Theologis sequenti modo: Cultus seu religionis disparitas inter baptisatos et non baptisatos, etiam catechumenos, quales sunt Judaei, Turcae, Gentiles, ex consuetudine legitime introducta et ab Ecclesia approbata matrimonium irritat ob periculum perversionis. Atque hoc intelligendum modo de matrimonio contrahendo; non autem etiam de contracto, quod omnino validum est, neque dirimitur juxta Canonem etiam supra citatum Trullanum si pars infidelis, altera Christiana facta porro quoque ei pacifice cohabitare velit.

Instructio Austriaca hoc impedimentum sequentibus exprimit:

Inter baptisatos, et eos, qui regenerationis Sacramentum (Baptisma) haud susceperunt, matrimonium consistere nequit.

Juxta hoc ergo impedimentum disparitatis cultus nullum est matrimonium a) quod Catholicus cum Judaeo, Turca, aut Pagano iniret; b) quod schismaticus Christianus, aut Protestans cujuscunque Confessionis valide tamen baptisatus eum Judaeo, Turca, aut Gentili aut quocunque non baptisato contraheret, adeoque si tales Catholici fierent, consensus renovatione eorum matrimonium validari debet. Cum autem existant Sectae ex Protestantismo enatae, prout sunt Sociniani, Unitarii, alique, imo in quibusdam locis

ipsi etiam Protestantes, quorum baptismus aut dubius aut invalidus est, ad quaestionem: An Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptismus dubium aut suspectum est, infideles habendi sint ita, ut inter eos et Catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Feria 4-ta die 17. Novembris 1830. in Congregatione generali S. Romanae universalis Inquisitionis proposito supra scripto dubio decretum est: a) Quoad haereticos quorum Sectae Ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. b) Quoad illos, qui juxta eorum Ritualia baptisant valide, validum censendum est baptismus. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptismus in ordine ad validitatem matrimonii. c) Si autem certe cognoscatur nullum baptismus ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

Corollarium: Inter Catholicos et A Catholicos Christianos valide baptisatos impedimentum dirimens disparitatis cultus non obtinet, quamvis Ecclesia id genus matrimonia mixta dicta improbet, et ab iis ineundis suos dehortetur; quod Instructio sequentibus expressit:

Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis conjugia; improbat quoque matrimonia inter Catholicos et Christianos Non Catholicos, et ab iis ineundis suos dehortatur.

Quodsi tamen hoc non obstante inter Catholicos et A Catholicos matrimonium contrahatur, nisi utriusque sexus prolium catholica educatio assecuretur, Ecclesia denegat in signum reprobationis talibus matrimoniis benedictionem sacerdotalem; atque aut passive

solum assistente Catholico Parocho, coram eo et testibus enunciato per partes consensu matrimonium contrahitur, aut vero coram Ministro confessionali Acatolico in Hungaria, sic consentientibus partibus instituitur.

Clericis autem matrimonium cum haereticis absolute prohibetur Canone XIV. Concilii Chalcedonensis.

§ 103. Impedimentum Cognationis.

Cognatio est propingvitas personarum, quas aut sanguinis communitio, aut religionis ratio, aut legum vis constringit ac jungit.*) Triplex ideo est cognatio matrimonium dirimens. 1) Cognatio naturalis, seu consanguineitas, quae est conjunctio personarum, quarum una ab altera, vel ambae a communi et propingvo stipite per generationem carnalem descendunt, atque in ea distinguuntur procreati ex nuptiis legitimis, et vulgo quaesiti, seu illegitimi. 2) Cognatio spiritualis, seu propingvitas ex baptismi et confirmationis collatione, et perceptione proveniens. 3) Cognatio legalis ex adoptione consurgens.

§ 104. Rationes prohibitionis Matrimonii inter consanguineos.

Matrimonia inter consanguineos justis de causis prohibita sunt, et quae certis in gradibus contraherentur irrita declarata. Prima ratio petitur ex reverentia quae parentibus et aliis consanguineis debetur. Altera ex caritate, quae necessitudinum multiplicatione latius diffunditur et corroboratur. Tertia

*) Kutschker Eherecht 3. Bnd. § 139.

ex concupiscentiae compressione, cui fraenum laxari videretur, si Matrimonium inter illas personas contrahi posset, quas simul habitare et conversari necesse est.*)

§ 105. De propingvitate cognatorum.


Quo propingviores sunt cognati ad communem Patrem seu stipitem, eo propingviores inter se, et quo remotiores a communi generante, eo remotiores inter se; ad quod determinandum, stipitem, lineas et gradus probe discernere oportet. Per stipitem intelligitur persona (masculina vel feminea) a qua originem ducunt illi, quorum conjunctio inquiritur, qualis est pater, respectu fratris et sororis, avus, respectu nepotis et neptis, proavus, respectu pronepotis et proneptis, abavus, respectu abnepotis et abneptis. Linea est collectio personarum ab eodem stipite descendentium. Linea triplex est, ascendentium, descendentium, recta; ascendentium, cum a persona generata ascenditur recte ad personam generantem, uti pater, avus, proavus, abavus, atavus; descendentium autem, dum a progenitore generationes vel personae progeneritae numerantur, ut sunt filii, nepotes, pronepotes, trinepotes. Alia linea nuncupatur transversa, collateralis, obliqua, seu indirecta, quae est ordo personarum descendentium quidem ab uno communi stipite, a se tamen invicem non genitarum, quales sunt fratres, sorores; patruelles, consobrini ad se invicem collati. Ista collateralium linea rursus duplex est, aequalis, et inaequalis. Aequalis linea dicitur, quando consanguinei aequaliter distant a communi stipite, ita

*) S. Thomas secunda secundae Quaest. 15. Art. 9.

duo fratres sunt in linea aequali, uterque enim pariter distat a stipite. Inaequalis, sive mixta linea autem est, cum alter ex consangvineis magis, alter minus remotus est a communi stipite, ita frater et fratris filius sunt in linea inaequali, quia frater distat a stipite, patre scilicet minus, quam fratris filius. Linea iterum est paterna, cujus caput est pater, alia materna, cujus caput est mater. Gradus denique juxta concilium Maronitarum 1736. celebratum, est generationis progressus, sive distantia consangvineorum inter se per unum generationis progressum. Dicuntur gradus, ad similitudinem graduum scalarum, seu locorum proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, idest, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus,*) prout in sequentibus figuris in-
tueri licet.

*) Math. Blastaris Syntagma Lit. A. Caput VIII.

LINEA RECTA:



§ 106. De Computatione graduum Consangvineitatis.

Inter ascendetes Patris et Matris, ac descendentes eorum, in scala Lineae rectae nunquam potest contingere matrimonium propter continuam generationem posterioris a praecedente, ideo in linea recta computatione graduum opus non est. Quoad colla-

terales consanguineos vero lineae transversae, diversa est computatio canonica, quam latina Ecclesia observat, a computatione juris civilis romani, quae in Ecclesia orientali adhucdum usu viget.*) Secundum hoc, tot sunt gradus, quot sunt ex utroque latere personae; et ideo fratres et sorores, cum duae sint personae, sunt in gradu secundo, consobrini in gradu quarto, sobrini in gradu sexto, sobrinorum filii in gradu octavo. In linea autem transversa inaequali frater cum consobrino, et consobrino cum sorore in gradu tertio, sobrino cum consobrino, et consobrino cum sobrina in gradu quinto, et sobrino cum sobrina filia in gradu septimo. E. G.

Stipes Joannes		Stipes Maria	
hic		haec	
genuit		genuit uterinos	
(fratres)		(fratres)	
Josephum et Mariam		Annam	Joannem
hic	haec	haec	hic
(Consobrini)		(Consobrini)	
genuit Annam	genuit Antonium	Philippum	Mariam
haec	hic	hic	haec
(Sobrini)		(Sobrini)	
genuit Eliam	genuit Barbaram	Catharinam	Petrum
hic	haec	haec	
genuit Petrum	genuit Elisabet.	Paulinam.	

Nunc, Elias vult ducere Barbaram in gradu sexto sibi consanguineam, quia ex utroque latere sunt sex personae, nempe Josephus, Maria, Anna, Antonius, Elias et Barbara.

At jus canonicum tantum connumerat lateris unius generationes a communi stipite deductas, ideoque duas personas in uno gradu constituit, scilicet

*) Schöpf Kirchenrecht 4. Band. pag. 88.

fratres et sorores in primo gradu, consobrinos in secundo, sobrinos in tertio, et sobrinorum filios in quarto, qui est gradus orientalium octavus. Ratio autem diversitatis computationis graduum consanguineitatis inter jus civile, quam Orientales observant, et jus canonicum, quod Latina Ecclesia tenet, ex utriusque juris fine percipi potest. In legibus enim civilibus ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonicis vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi praescribitur, ut hereditas propingvis modo legitimo conferatur: hic vero, ut recte, et canonice nuptiae inter fideles celebrentur. Et quia nuptiae sine duabus personis non valent fieri, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.¹⁾

Prioribus sex seculis etiam in Ecclesia latina idem computationis graduum consanguineitatis modus observatus est, qui hodie quoque juxta praescriptionem legum civilium in Ecclesia orientali obtinet; donec pro Ecclesia latina disceptatione inter Petrum Damianum et Jurisperitum de Ravenna, hoc de objecto enata, Alexander secundus Pontifex coacto Romae concilio, ab antiquo jure populorum germanicorum receptam computandi rationem actu in occidentali Ecclesia vigentem praescripsisset.²⁾ Juxta hunc jam computationis modum, pro computatione graduum lineae collateralis duae regulae stabilitae sunt:

¹⁾ Natalis Alexander pag. 185.

²⁾ Vide Schöpf Kirchenrecht 4. Band. pag. 88.

1) Regula pro linea collateralis aequali haec: Quo gradu personae, de quarum conjunctione quaeritur, distant a communi stipite, eodem etiam distant inter se, seu tot gradibus distant personae a se invicem, quot gradibus distant a communi stipite.

2) Regula pro linea transversa inaequali haec: Tot gradibus distant personae inter se, quot gradibus persona remotior abest a communi stipite.

Quamvis autem juxta hanc posteriorem regulam, gradus remotior trahat ad se propinguiorem, et potior ratio habeatur gradus remotioris, cum tamen petitur dispensatio, exprimentus est etiam gradus propinguior, ea etiam ex ratione, ut sciatur, an casus in facultatibus Episcopalis contineatur. Sic frater nepti ex fratre suo progeneris est cognatus in secundo gradu consanguinitatis attingente primum. Adeoque dum pro dispensatione recurrendum est, Schema sic dictum consanguinitatis, seu arbor gentilitatis construatur, sicut in exemplis superius hoc § exhibitum est. Construitur autem Schema vel arbor consanguinitatis ea ratione: describantur nomina eorum, qui matrimonio jungi volunt distinctim in certa ab invicem distantia, supra cujuslibet nomen scribantur parentes, et supra hos horum parentes, donec in communem stipitem utraque series desinat.

§ 107. De extensione impedimenti consanguinitatis.

Juxta disciplinam Ecclesiae Orientalis impedimentum consanguinitatis extenditur usque ad septimum gradum inclusive, octavus ideo gradus prohibitus non est; juxta disciplinam autem Latinae Ecclesiae hic gradus quoque impedit matrimonium, quia

integrat quartum gradum juxta canonicam computationem; ideo graeco-catholici dispensatione Episcopi ab hoc gradu opus habent. Imo graeci asserunt septimum quoque suae computationis gradum non nisi impedimentum impediens esse, quod prohibet quidem non tamen dirimit contractum jam matrimonium.*) De hoc impedimento consanguinitatis, tenor Instructionis § 26. sequens est: Qui in linea recta, aut in quarto vel proximiori quodam lineae transversae gradu consanguinei sunt validum inter se matrimonium contrahere non possunt, neque refert an consanguinitas ex copula licita vel illicita exorta sit.

§ 108. Matrimonia ob impedimentum Consanguinitatis irrita, nullo temporis tractu convalescunt.

Contracta in gradibus prohibitis matrimonia adeo sunt irrita, ut nullo annorum numero defendi possint et convalescere; prout decrevit concilium Lateranense IV. his verbis: „Quaternarius numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apostolus: „Quod vir non habet potestatem sui corporis sed mulier, neque mulier habet potestatem sui corporis sed vir;“ quia quatuor sunt humores in corpore qui constant ex quatuor elementis.“ Cum ergo jam usque ad quartum gradum (octavum graecum) prohibitio conjugalis copulae sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, ut si quis contra prohibitionem hujusmodi praesumerit copulari, non longinquitate defendatur annorum; cum diuturnitas tempo-

*) Vide Blastaris Syntagma pag. 46. Tomo. II. apud Beveregium.

rum non minuat peccatum, sed augeat, tantoque sunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.“*)

§ 109. Decretum Concilii Lateranensis IV. quoad gradus consanguineitatis prohibitos obligat etiam Ecclesiam Orientalem.

Superiori § 107. expositum est Graecos non modo non prohibere matrimonium in octavo suae computationis gradu, sed et si in septimo gradu, qui quidem prohibitus est, contrahatur matrimonium, ob prohibitionem tamen irritum non reddatur. Graeco-Catholicis tamen regula esse debet decretum Synodi provincialis Maronitarum de Anno 1736. per Sanctam Sedem Apostolicam approbatum sequentis tenoris: „In Ecclesia Romana prohibentur matrimonia usque ad quartum gradum inclusive juxta computationem canonicam; in Ecclesia vero Orientali usque ad septimum gradum inclusive juxta computationem civilem; unde cum persona octava Latini matrimonium prohibent, permittunt vero Orientales. Quod tamen impræbavit Innocentius IV. (in epist. ad Ottonem cardinalem Tusculanum in regno Cypri) in haec verba: „Et quoniam apud eos (Graecos) consueverint contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, si secundum computationem et distinctionem graduum quam nos facimus apud nos quartus habetur: ne id permittatur deinceps, firmiter prohibemus, districte praecipientes, ut quum in ulterioribus gradibus licite matrimonia

*) Kutschker Tom. 3. pag. 302.

contrahantur, in praedicto quarto consanguineitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant, statutum in hoc generalis Concilii (Lateranensis sub Innocentio III.) observantes. Illos autem qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere.“ Et Benedictus XIV. Const. „Et si Pastoralis“ pariter normae adinstar praescripsit: Quoniam inquit, apud Graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem et distinctionem graduum. quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur, ne id praesumatur deinceps firmiter prohibemus ac districte praecipimus, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur in praedicto quarto consanguineitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant, statutum quoad hoc generalis Concilii observantes.*) — Cum vero epistola Innocentii IV. pro regno Cypri prudenti oeconomia Apostolicae Sedis non fuerit publicata, neque ad praxim in regno Cypri deducta, Constitutio autem Benedicti XIV. „Et si Pastoralis“ Italo-Graecos respiciat, non vero omnes Orientales ideo non immerito dici potest, tolerantia ac indulgentia ejusdem Sedis Apostolicae factum esse, ut matrimonia in Ecclesia Orientali inita inter consanguineos et affines, qui octavo inter se distant orientali gradu, non essent irrita, nisi agatur de aliqua Graecorum provincia, pro qua ab Apostolica Sede aliter declaratum fuerit, prout constat de Maronitis.

*) Kutschker Tom. III. pag. 303.

§ 110. Num conjugia Infidelium et Haereticorum ad Ecclesiam conversorum cum impedimento dirimente consangvineitatis ante conversionem contracta tolerari possint?

Quoad infidelium non baptisatorum post contracta matrimonia ad Ecclesiam conversorum connubia conveniunt Canonistae, excepto si matrimonia eorum contracta essent cum impedimento juris naturalis et divini, uti in linea recta inter ascendentes et descendentes, atque lineae collateralis primum gradum consangvineitatis non esse separanda, et eorum proles legitimas esse. Aliud autem est Canonistarum circa matrimonium haereticorum iudicium; cum enim hi Ecclesiae jurisdictioni subditi sint ex quo baptismum susceperunt, legibus quoque ecclesiasticis obligantur, ideoque separandi sunt, si Matrimonium in gradibus prohibitis in haeresi adhuc licet contraxissent, donec impetrata dispensatione iterum contraxerint. Observandi tamen sunt tenores § 139. Instructionis, ut videlicet in similibus casibus ab omni inquisitione in forma juris instituenda absterneatur, sed medio Cleri parochialis subversantis impedimenti realitas exploretur. Episcopus autem dispensationem, qua opus est, tribuendo, curam habeat, ut convalidatio omni scandalo semoto peragatur. Urgente autem periculo, ne conjuges vel alter eorum, impedimento detecto ad consortium vitae dissolvendum abutantur, apud Sanctam Sedem de sanando matrimonio in radice supplicatio fiat.*)

*) Idem Kutshker pag. 304.

§ 111. De Cognatione Spirituali.

Cognatio spiritualis oritur ex baptismo, quocum in Ecclesia orientali etiam confirmatio de canone¹⁾ ordinarie confertur; evenire autem solet, ut confirmationis sacramentum distinctim, etiam in Ecclesia Orientali conferri debeat et quidem adultis, dum Lutherani vel Calviniani ad Ecclesiam graeco-catholicam convertuntur, his, eorumque prolibus; hinc dicendum est, cognationem spirituales ex baptismo et confirmatione contrahi. Concilium Trullanum Canone LIII. de hac cognatione statuit: „Quoniam spiritualis affinitas corporum conjunctione major est, in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto et salutari baptismo infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, ut imposterum nihil amplius fiat ejusmodi, si qui autem post praesentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab illicito istiusmodi matrimonio desistant, deinde et fornicatorum poenis subjiciantur.“ (Addit Blastaris.²⁾) „Quippe qui ab hoc malo prompte non semet abstinere, et confitentur, tamquam incestis nuptiis pollutus damnatur. Legis autem tenor est: Qui e sacro baptismo aliquam suscepit, eam postea matrimonio sibi jungere non potest, utpote quae illius filia facta sit. Nec item ducere potest matrem ejus, aut filiam, imo nec ipsius quidem filius id facere potest. Quippe nulla res alia sic paternam affectionem inducere potest, et

¹⁾ Canon. 48. Synod. Laodic.

²⁾ Blastaris Syntag. Lit. B. apud Beverg. pag. 62.

justam nuptiarum prohibitionem, ut hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animae eorum copulantur. Affirmant igitur aliqui (prosequitur Blastaris) quod cum tam ex canone quam lege major esse illa spiritualis, quam carnalis cognatio statuatur, observare debeant hac colligati prohibitos gradus usque ad septimum: tot scilicet numero, quot etiam in consanguineitate soleant observari. Verum pluribus hoc minime visum est, sed ad eas duntaxat personas prohibitionem pertinere, quae dicta lege continentur. Quae disciplina etiam nunc ubi in usu est, observanda est.

Jure latino impedimentum cognationis spiritualis exprimit Instructio § 27. sequentibus: Cognatio spiritualis, quae ex baptismo et confirmatione oritur, dirimit matrimonium inter sacramenti dispensatorem et baptisatum vel confirmatum, nec non baptisati vel confirmati parentes, inter patrinum quoque et baptisatum vel confirmatum, nec non baptisati confirmatique parentes.

Differentia igitur a disciplina graeca in eo consistit, quod secundum Latinos permissum sit filio patris ducere sororem filii spiritualis patris sui, quod per disciplinam graecam prohibitum est, in quantum inter filios patrinorum atque filium spiritualem, ejusque fratres et sorores fraterna correlatio consistit.

Notant autem Canonistae, hoc impedimentum non contrahi ab eo, qui procuratorio tantum nomine patris munus obivit.

Insuper impedimentum hoc cognationis spiritualis etiam ex Sacramento Matrimonii contrahi tenent Graeci; nam in Codice Canonum vulgo Pravila, juxta editionem lingva romana seu valachica pag.

189-a legitur Titulus: „De Cognatione ex Matrimonio.“ quae contrahitur inter testes ad Matrimonium adhibitos quasi paternos, et parentes sponsorum, filiosque eorum inter se.

Haec prohibitio Matrimonii ubi viget, Episcoporum dispensatione tolli potest.

§ 112. De Adoptione, sive Cognatione legali.

Adoptio est actio sollemnis, qua in locum filii vel nepotis adsciscitur is, qui natura talis non est; communiter a Canonistis definitur: extraneae personae in filium vel filiam, vel nepotem legitima assumptio; et haec est adoptio perfecta, quia adoptatus loco naturalis, vel sicut naturalis transit in potestatem adoptantis, et alias arrogatio dicitur; distinguitur ab hac adoptio imperfecta, dum adoptatus non transit in potestatem adoptantis, ideo posterior adoptio non est impedimentum dirimens matrimonii.*) Impedimentum hoc, juxta declarationem Nicolai 1-i Pontificis (in respons. ad consult. Bulgar. C. 2.) est secundum complexum legum civilium dimetiendum, de quo in Austria Instructionis § 28. praescribit ut sequitur:

Adoptio, qualis arrogationi, seu adoptioni perfectae juris Romani quoad essentialia respondet, secundum nunc vigentem Ecclesiae praxin, etiam post-

*) Kutschker Tom. 3. pag. 355. Bened. XIV. de Syn. D. L. IX. C. 10. 1. 2. 4. et 5. Quaestio an ex adoptione imperfecta oriatur cognatio, legalis adhuc definita non est, ideo merito concludit Bouwier, casu adveniente petendam esse dispensationem ad cautelam.

quam dissoluta fuerit, matrimonium dirimit inter adoptantem adoptatumque et ab adoptato descendentes sub paterna ejus potestate tempore adoptionis constitutos, nec non inter adoptantem adoptatique uxorem et adoptatum vicissim et adoptantis uxorem. Praeterea quamdiu adoptio perdurat, inter adoptatum et adoptantis liberos carnales, legitimos, sub potestate paterna constitutos matrimonium consistere nequit. Porro § 29. Adoptio juris Austriaci intra praefatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternae adoptantis potestati subjiciatur, vel in ejusdem domum filiorumfamilias ad instar cohabitaturus recipiatur. Quodsi autem neque paternae adoptantis potestati subjiciatur, neque in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptio juris Austriaci imperfectae aequiparanda est, et nullum matrimonii impedimentum involvit.

Haec etiam Graeco-Catholicos in Austria obligant, postquam hoc impedimentum cognationis legalis etiam Ecclesia Orientalis adoptavit, attamen ad illas duntaxat personas exporrigitur, quae determinatae sunt a jure Romano, quas paragraphus sequens indicat.

§ 113. Impedimentum cognationis legalis, sive Adoptionis in Ecclesia Orientali.

Impedimentum cognationis legalis, sive adoptionis etiam Ecclesia Orientalis sanxit; de quo Blastaris*) haec dicit: „Ceterum adoptionis etiam quae successione causa fit perinde rationem habendam ac consanguineitatis per sacros canones et religiosas

*) Blastaris in Syntagmate Lit. B. pag. 52. apud Bevereg.

leges edocti sumus: idque tum respectu graduum matrimonialium, tum adeundae paternae hereditatis. Non potest pater, qui filium adoptavit, filii adoptivi filiam vel neptem ducere; nec filius adoptivus adoptantis patris uxorem, vel matrem, vel sororem matris, vel neptem ex filio.“ Synodus autem Maronitarum de Anno 1736 sequentia statuit: Cognatio legalis est propingvitas ex adoptione proveniens; adoptio autem est personae extraneae, seu carentis gradu filiationis ad quem assumitur, in filium et heredem gratuita assumptio, ad quam requiruntur a Jure hae conditiones: 1) ut adoptans sit sui juris, 2) ut sit major viginti quinque annis, 3) ut sit masculini sexus, nam feminae adoptari possunt sed non adoptare, nisi ex privilegio; 4) ut adoptans habeat naturalem generandi potentiam; non tamen excluduntur ii, qui cum a nativitate habuissent illam, ex accidenti amiserunt, ut scissi gladio, aut facti ex morbo eunuchi, sed excluduntur frigidi ex natura; 5) ut adoptans sit ejus aetatis, quae adoptati aetatem excedat annis decem et octo; 6) ut adoptans sit praesens, non enim fieri potest adoptio per literas aut per procuratorem. Hispositis conditionibus, cognatio legalis, quae ex adoptione oritur, dirimit matrimonium in linea recta ascendentium et descendendum, usque ad quartum gradum canonicum inclusive, et in primo tantum gradu canonico lineae collateralis; item affinitatem parit in primo gradu lineae rectae tum ascendentium, tum descendendum, quae matrimonium dirimit; unde non potest adoptans nubere cum uxore adoptati, nec adoptatus cum uxore adoptantis. Talis autem cognatio in linea quidem ascendentium est impedimentum perpetuum, non vero in linea collateralis,

adeoque soluta quidem adoptione, remanet adhuc inter ascendentes et descendentes cognatio legalis; desinit tamen haec cognatio in linea collateralis, soluta adoptione vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem adoptati.*)

§ 114. Impedimentum Affinitatis.

Affinitas est propingvitas quarumdam personarum orta ex copula carnali licita, vel illicita unius cum consanguineo vel consanguinea alterius. Ergo maritus est affinis consanguineis uxoris sicut uxor affinis est consanguineis mariti. Cum enim maritus et uxor consummata copula fiant caro una, consanguinei unius fiunt propingvi alterius. Id dicendum est etiam de concubitu illicito, per quod concumbentes fiunt caro una dicente S. Paulo 1. ad Corinth. 6. „qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur, erunt enim duo in carne una.“ Ideo irritum est matrimonium inter legitimum conjugem, et alterius conjugis consanguineos sibi affines usque ad quartum gradum; atque inter unum concumbentem et alterius complicis consanguineos in primo vel secundo gradu. Gradus autem computantur juxta regulam: Quo gradu quis est cognatus uni, eodem gradu est affinis alteri. Quoad hoc impedimentum Instructio pro Tribunalibus matrimonialibus in Austria praescribit.

§ 30. Matrimonium consummatum inter unam partem, et alterius quartum usque inclusive gradum consanguineos affinitatem parit, qua irritatur matrimonium inter eosdem initum.

§ 31. Concubitus extra matrimonium habitus di-

*) Kutschker Tom. 3. pag. 353.

limit matrimonium contrahendum inter unam partem et alterius consanguineos in primo et secundo gradu, vel, ut communiter dicitur usque ad secundum gradum inclusive.

§ 32. Conjux qui cum alterius consanguineis in primo vel secundo gradu copula carnali culpose jungitur, privatur jure debitum conjugale petendi, donec dispensationem obtinuerit.“ Hic paragraphus agit de affinitate superveniente, dum videlicet unus ex conjugibus cum alterius consanguineis carnaliter commiscetur, et per hanc commixtionem inter ipsos conjuges affinitas enascitur, quoniam conjux alter cognatus est.

§ 115. Disciplina Ecclesiae Orientalis circa Impedimentum Affinitatis.

In Ecclesia Orientali relate ad impedimentum affinitatis praescriptiones legis civilis in usu sunt, quas Blastaris in suo Syntagmate*) sic exponit: Verba legis (civilis) haec sunt: Socrus est uxoris meae mater, et avia, et proavia, quarum nullam duco. Nurus etiam dicitur uxor filii et nepotis, et pronepotis. Privigna quoque dicitur ex alio nato marito uxoris meae filia, et neptis, et proneptis, quarum nullam duco.

Nec item novercam meam, licet plures pater meus habuerit, quoniam matrum loco sunt. Nec noverca nubit ei, qui privignae meae maritus fuit. Nec filiam mulieris duco, quae a me divertit ex alio marito post divortium procreata. —

Tomus autem Sisinii Patriarchae prohibet, ne duo fratres amitam, et ejusdem fratris filiam ducant

*) Lit. B. apud Bevereg. pag. 47-a.

uxores, ac vice versa. Praeterea vetuit ne duo fratres ducant duas consobrinas (eo magis duas sorores). Igitur ad quintum usque gradum prohibita sunt ob affinitatem nuptiae. Quae vero sexti gradus sunt, si nulla interveniat confusio circa generis appellationes non prohibentur. Sin emergat aliqua confusio vetantur. Sic fieri non potest ut duo germani fratres duabus consobrinis copulentur, et vice versa, in gradu sexto. Fiunt enim loco fratrum congeneri, vel coadfinis, et hoc modo nomina cognationis confunduntur. Ait autem Magnus Basilius: „In quibus generis appellationes confunduntur, in his illicitae sunt nuptiae.“ Ex hac causa, cum patruus jam antea fratris habet filiam, fratrisve filius cum amita coire vult in matrimonium, posteriores nuptiae prohibentur. Quippe velut ipso jure patruus fit fratris filius, et fratris filius fit patruus. Nec prohibetur autem, ut avus, et nepos copulentur cum amita magna, et ejusdem ex fratre nepte, licet in sexto gradu, quia confusionem generis non inducit. Sicut etiam cum patruus et fratris ejus filius amitam ducunt, et ejus fratris filiam.

Ex eodem autem principio evitandi confusionem generis etiam septimus gradus prohibetur; sic fieri nequit ut filius et pater duabus sobrinis copulentur; patris enim et filii loco fiunt congeneri vel coadfinis. Ex eadem ratione avus et pronepos a matrimonio duarum consobrinarum arcentur, ne congeneri vel coadfinis habeantur. Patruus autem et fratris ejus filius duas consobrinas in septimo gradu citra prohibitionem ducunt. Non potest autem unus idemque duas sobrinas ex duobus generibus uxores successive habere.

Apud Graecos obtinet etiam affinitas ex tribus generibus, sic: Nemo potest ducere matrem uxoris fratris uxoris suae, neque uxorem fratris uxoris suae, haec tamen impedimenta juxta Gabrielem Metropolitam Philadelphiae in opusculo de Sacramentis, quod a Synodo Hierosolimytana sub Dositheo Patriarcha seculo XVII. celebrata laudatur et approbatur, magis ad impedimenta impediencia adnumerantur, qui ait hoc esse referendum ad accuratam Episcoporum approbationem¹⁾.

Quoad hoc impedimentum Synodus Maronitarum graeco-catholicorum de anno 1736. celebrata et per sanctam Apostolicam Sedem approbata decrevit: „Quum gradus consanguineitatis ad quartum inclusive quoad Latinos in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3, et ad septimam personam quoad Orientales redacti fuerint, consequens est, ut ad eum quoque gradum seu personas affinitatis quoque gradus extenderetur. Sed nos statutum sacrosancti Lateranensis Concilii, cui Patriarcha noster Hieremias interfuit, in praedicto quarto affinitatis gradu (computatione canonica) observamus; adeoque declaramus, quod etiamsi in jure Orientalium prohibitum sit, ut pater et filius cum matre ejusque filia contrahant, aut duo fratres cum duabus sororibus, sacro-sanctae tamen Romanae Ecclesiae morem sequentes matrimonia hujusmodi tamquam licita approbamus. Affinitas enim non est inter cognatos contrahentium, sed inter unum contrahentem et cognatos alterius contrahentis²⁾. Pius autem V. Pontifex in Decreto Apostolico „ad Romanum“ de 28. Novemb.

¹⁾ Klein pag. 85.

²⁾ Kutschker Tom. III. pag. 374.

1566. ad tollendum omne dubium, an licet in ulterioribus gradibus hujusmodi matrimonium cum affinitate contractum non dirimatur, adhuc tamen juxta antiquos Canones contrahi prohibeatur? declaravit: „Nos omnem ambiguitatem tollere, ut animarum tranquillitati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes declaramus et auctoritate Apostolica decernimus, nulum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere et licite matrimonium contrahi possit“¹⁾.

§ 116. Impedimentum publicae honestatis.

In nuptiis contrahendis inquit Blastaris²⁾ non solum quid permissum sit consideramus, verum et quid sit honestum. „Est autem impedimentum publicae honestatis inhabilitas ad matrimonium orta ex sponsalibus legitime contractis quacunque de causa postmodum solutis, atque ex matrimonio effective contracto sed nondum consummato sive rato sive irrito, excepta sola causa defectus consensus, si ex hoc solo titulo irritum sit matrimonium, in hoc enim casu impedimentum publicae honestatis non contrahitur. Si autem matrimonium ex quocunque alio titulo uti raptus, criminis, cognationis, affinitatis etcet. irritum sit, impedimentum hoc contrahitur, et quidem ex sponsalibus validis usque ad primum canonicum, et secundum graecum gradum³⁾ inter unam partem

¹⁾ Kutschker Tom. III. pag. 375.

²⁾ Apud Bevereg. Tom. II. pag. 51.

³⁾ Rectius quartum gradum, cum restrictio hujus impedimenti a Concilio Tridentino Cap. III. Sess. XXIV. de reform. matrim. ad Ecclesiam Orientalem non spectet.

et alterius contrahentis partis consanguineos; et ob matrimonium ratum non consummatum usque ad quartum gradum canonicum, graecum octavum. De hoc impedimento inquit Blastaris^{*)}: „Ubi perfecta sunt sponsalia, licet antequam cum desponsata sibi vir coeat, per mortem ab ea diremptus fuerit, ne laicus quidem ducere potest vel consobrinam ejus, vel aliam personam cognatam lege prohibitam.“

Instructio autem Austriaca sequentia praescribit:

§ 33. Matrimonium ratum non consummatum conjugem, qui supervixerit, aut in saeculo remanserit, inhabilem reddit ad matrimonium ineundum cum alterius consanguineis quartum usque inclusive gradum.

§ 34. Matrimonium invalide contractum non consummatum, nisi propter defectum consensus nullum sit, impedit, ne conjugium subsistat inter unam partem et alterius consanguineos quartum usque inclusive gradum.

§ 35. Sponsalia valide et pure inita (inconditionate aut si conditio de futuro adimpleta est) obstant ne sponсорum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium contrahat.

§ 117. Impedimentum criminis.

Spiritus legum Orientalium is est, ut graviorum criminum rei sicut conjugicidae et adulteri cum complicibus criminis nunquam matrimonium contrahere admittantur, imo non tantum ob perpetratum crimen, sed ex sola etiam praesumptione et subsumptione de crimine matrimonium prohibent; qua de re Titulo: „De nuptiis quae prohibentur etiam citra cognatio-

^{*)} Apud Bevereg. pag. 77.

nem^{*)} haec leguntur: „Qui accusatus est adulterii, licet manifesto non sit convictus, nequit eam mulierem uxorem ducere. Nec libertus uxorem patroni sui ducit post ejus mortem. Praebet enim suspicionem quod etiam illo vivo commiserit in eam adulterium.“

Impedimentum autem dirimens criminis in eo consistit, si nempe mulier, vel vir adulterium committat, vel conjugicidium perpetret, intentione, ut possit postea nubere illi, quocum hoc peccatum commisit. Quo in casu hujus mali partes consciae matrimonium valide inire haud possunt (Klein p. 90.)

Disciplina etiam Ecclesiae Latinae impedimentum ob crimen ad certas conditiones restrinxit et determinavit, et quidem:

1) Adulterium solum non est impedimentum dirimens matrimonium post mortem conjugis contractum

2) Adulterium consummatum cum matrimonio attentato vivente conjuge est impedimentum dirimens, si nempe utrique notum sit adulterium, si enim alteruter bona fide matrimonium contrahat, existimans alterum solutum esse ac liberum, sive suum aut alterius conjugem obiisse, qui postea superstes invenitur; priore mortuo cum posteriore contrahere potest.

3) Adulterium cum promissione matrimonii est impedimentum dirimens, si promissio fuerit facta vivente marito mulieris, vel conjuge complicitis. Quodsi autem promissio de matrimonio contrahendo facta non fuerit vivente primo conjuge, sed post ejus mortem, quamvis adulterium intervenerit illo adhuc superstite, nullum inde oritur impedimentum dirimens. Sufficit autem nuda promissio antecedens, concomitans aut

*) Blastaris Syntagma Lit. B. pag. 53.

subsequens adulterium vivente conjuge, nec requiritur ut juramento firmata fuerit: sed tamen requiritur ut ab altera parte criminis particeps sit acceptata seu verbo seu signo; alias impedimentum istud non oriretur.

4) Homicidium cum adulterio, etiam absque conspiratione est impedimentum dirimens matrimonium post perpetratum crimen contractum, idest, si homicidium sine et cum intentione contrahendi matrimonii cum complice adulterii ante patratum facinus commissi, etiamsi una parte non consentiente aut ignorante patratum sit.

5) Homicidium etiam sine adulterio, sed cum conspiratione in conjugicidium, dirimit matrimonium. Mulier igitur illi nubere non potest, qui maritum ejus interfecit, si mortem ejus machinata fuerit.

§ 118. Impedimentum Clandestinitatis.

Clandestina matrimonia sunt, quae non ineuntur publice ut dicunt in facie Ecclesiae et coram testibus, quae Ecclesia semper reprobavit et prohibuit. Testis hujus est Tertullianus (lib. 2. ad Uxor. C. 8.) scribens: Unde sufficimus ad enarrandum felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat. et confirmat oblatio, et obsignat benedictio. Ideo (L. de pudic. C. 4.) penes nos occultae quoque conjunctiones, idest non prius apud Ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari periclitantur.“ Quales clandestinas consociationes etiam leges civiles prohibuerunt. Sic Leo Imperator Novella 89. publica lege sancivit: „Ut sacrae benedictionis testimonio matrimonia confirmentur, adeo ut, si qui citra hanc matrimonium ineant,

id ne ab initio quidem ita dici, neque illi in vitae illa consuetudine matrimonii jure potiri debeant.“ Cum tamen Constitutio Principis laici non potuerit validitatem matrimonii quoad forum conscientiae infringere, manifestum est, ex ea impedimentum dirimens clandestinitatis nullo desuper existente antea Ecclesiae universalis decreto derivari non posse. Primum Concilium Tridentinum praescripsit formam substantialem actus, quo matrimonium valide celebratur (Sessione 24. Cap. 1. de Ref. matrim.) decernens: „Qui aliter quam praesente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii (Episcopi) licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attemptabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.“ Quod jam Ecclesiam Orientalem adtinet, probe distingvenda est clandestinitas antiqui juris, a clandestinitate per Concilium Tridentinum expressa, certumque est, jus Orientale non agnoscere nisi clandestinitatem veteris juris, videlicet prohibitionem contrahendi matrimonium absque publicis caeremoniis ab Ecclesia pro ejusdem celebratione praescriptis, quae quidem necessariae sunt ut matrimonii celebratio licita evadat et non prohibita. Utrum vero benedictio aut coronatio necessaria sit ad matrimonii validitatem, decisum ac definitum non fuit ab Ecclesia; quamvis sententia, quae negat necessitatem benedictionis ad matrimonii validitatem communior sit ac probabilior etiam pro Ecclesia Orientali. Etenim Ecclesia Occidentalis et Romana ideo non admittit ejusmodi necessitatem, quia rejicit separationem contractus a Sacramento, et habet pro va-

lidis matrimonia clandestina contracta ante Concilium Tridentinum, imo post hoc Concilium etiam ea, quae contracta fuerint servata forma Decreti „Tametsi“ ejusdem Concilii, sed absque caeremoniis et benedictione, sive cum assistentia parochi passiva et praesentibus testibus. Qua de re Benedictus XIV.*) inquit: Non temere conjicimus contractum conjugalem ita initum quamquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, jam ab Ecclesia haberi pro Sacramento.“ Ast vero in iis, quae validitatem Sacramenti attingunt non potest utraque Ecclesia contrariam tueri opinionem; etsi accurate ex eminentur historica documenta constabit: quod Ecclesia Orientalis ante schisma et supra provocatam Novellam Leonis Imperatoris, imo etiam post schisma non asseruerit absolute ac positive necessariam esse benedictionem ad validitatem sed solum ad licitam celebrationem matrimonii.

Etiam si autem in Transsylvania 1763. synodaliter statutum sit ut sequitur: „Quoniam multae quaerelae sunt, quod quidam ex Presbyteris lucri causa transgrediantur canonicum terminum, et coronare illegaliter praesummant parochianos alterius. Igitur taliter coronati juxta sacros Canones et Constitutionem Synodi dioecesanae, tamquam illegitimi separabuntur, Sacerdos vero mulctabitur.“ Imo ipsi etiam non uniti Graeci in Provincia Carlovicensi puncto 14-to Instructionis ad parochos statuerint: Coronationem vero et matrimonii benedictionem a nullo alio spon- sis recipere integrum est, quam a suo duntaxat proprio parochiali Sacerdote, aut alio etiam Presbytero

*) De Syn. Dioec. L. VIII. C. 14. Nr. 8.

mandatum ab illo habente¹⁾: Attamen cum certum et exploratum sit ad aliquod impedimentum dirimens inducendum necessariam esse auctoritatem Concilii oecumenici, vel Apostolicae Sedis, nec sufficere ut id decreto Synodi Dioecesanæ vel etiam Provincialis statuatur, ut disertis verbis tradit Benedictus XIV²⁾, cumque aliunde constet saluberrimum Concilii Tridentini Decretum in Provincia ecclesiastica graecocatholicorum Albo-Julienſi non fuisse rite publicatum (quæ quidem publicatio in singulis parochiis a Patribus illius Concilii necessario exigitur ad hoc ut vim ac robur habeat; ideoque quamvis matrimonia absque Sacerdotis ac testium praesentia in Transsylvania inita sint valde illicita; Ecclesia enim semper abhorruit ab hujusmodi clandestinis conjugiiſ, tamen nisi aliud obstet canonicum impedimentum pro validis habeantur oportet.

Instructio vero Austriaca quoad hoc impedimentum sequentia praescribit:

§ 38. Ad matrimonium valide ineundum requiritur, ut contrahentes coram parochio proprio utriusque vel unius partis aut alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus consensum declarent. In iis tamen Imperii partibus, pro quibus sancta Sedes instructionem de dato 30. Aprilis 1841. edidit, absentia Parochi Catholici quoad matrimonia inter Catholicos et Christianos non-catholicos ad ipsa irritanda non sufficit.

§ 39. Proprius nupturientium Parochus est is, in cujus parochia sponsi verum aut quasi domicilium habent.

¹⁾ Vide Joannovits Jus Eccl. Neopl. 1841. Tom. 1. p. 158.

²⁾ De Synod. dioec. L. XII. Cap. IV.

§ 40. Domicilium verum ibi locorum est, ubi quis habitationem suam vel unice vel principaliter figit, ita, ut peregrinari dicatur, quando ibi non commoretur. Quamdiu hoc in loco habitationem sibi vel familiae suae destinatae retinet, absentia longior licet per se sumpta non sufficit ad efficiendam domicilii veri translationem. Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verum tamen talem habitat in finem, ad quem assequendum longior commoratio requiritur, ibi quasi domicilium habet.

§ 41. Uxor, ubi maritus; minorenes, ubi parentes, nutritii, tutor, verum habent domicilium. Locus, ubi e. gr. uxor servitia praestat, aut minorens studiorum ergo commoratur vel persona militaris stativa habet, ipsorum quasi domicilium reputandus est. Quinam minorens censendus vel minorensibus quoad relationes juridicas aequiparandus sit, juxta legem Austriacam dijudicandum venit.

§ 42. Officiales publici nec non ii, qui ad servitia quaecunque publica in dies vitae assumpti sunt, domicilium verum eo habent in loco, ubi ad muneris servitiique sui ordinarii partes explendas habitant. Quando alio in loco ad extraordinarium deputantur ministerium, quod pro sua natura longiorem postulat moram, ibi quasi domicilium acquirunt.

§ 43. Qui hominis privati, societatis aut instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi domicilium acquirat in loco, ubi ad servitia haec praestanda habitat. Haud ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant. Neque ratione servitorum, quorum quis tenore herum quoad habitationem sequi debet, loco, quo herus domicilium non habet, domicilium acquiri potest.

§ 44. Casu, quo quis extra locum domicilii veri in aliis adhuc parochiis domus ejus usibus destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum locorum quasi domicilium habet, ubi vel quovis anno per notabile tempus commorationem habet, vel tempore, quo locum qua domicilium asserit, per sex adminimum septimanas habitat.

Nota. Ceterum ut quis inoffenso pede adjudicare possit quaenam conditiones requirantur ex lege canonica, ad hoc ut quis quasi domicilium habere dicatur relate ad matrimonium contrahendum; consulat litteras apostolicas Benedictus XIV. — Paucis ab hinc hebdomadibus. —

§ 45. Eorum, qui neque verum, neque quasi domicilium habent, parochus proprius is est, in cujus parochia commorantur.

§ 46. Proprius personarum ad militiam vagam pertinentium Parochus est Capellanus et respective superior castrensis juxta tenorem facultatum a sancta Sede concessarum. Qui militiae stabili annumerantur, parochum domicilii adeant oportet.

§ 47. Quod licentia matrimonio assistendi ab eo, cui competit (§ 38.) tacite collata sit, foederis conjugalisi valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat, cui a parochio vel ab Ordinario ipso facultas expresse haud facta sit. Licentia inere praesumpta non sufficit; neque juvat, quod jus delegandi habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset, aut rem postmodum ratam habeat.

§ 48. Qui licentiam matrimonio assistendi pro universitate casuum accepit, eam pro singulis casibus alii Sacerdoti concedere potest. Qui licentiam istam pro singulo casu accepit, jure subdelegandi caret, nisi expresse ipsi collatum sit.

§ 49. Quando ex quacunque ratione dubium emergat cuinam animarum curatorum jus matrimonio assistendi competat, res ad Episcopum deferenda, ac ejus decisio vel ordinatio exspectanda est.

§ 119. De Matrimoniis conditionatis.

In Ecclesia Orientali matrimonia cum conditione inita in usu non sunt; sed et in Ecclesia Latina non nisi cum consensu Episcopi admittuntur, atque consummato ante adimpletam conditionem Matrimonio, eo ipso omnis conditio cessat. Quosuper Instructio pro Tribunalibus matrimonialibus sequentia praescribit:

§ 51. An consensus sub conditione datus causa efficiens matrimonii sit, a conditionis impletione dependet.

§ 52. Quando conditio versetur circa futurum contingens vel non contingens, matrimonium suspenditur, usque dum conditio impleatur. Quodsi non impleatur, consensus dati effectus cessat. Quando consensus alligatur conditioni de praesenti vel de praeterito, matrimonium validum est vel non, prout conditio impleta jam sit, vel non.

§ 53. Irritus esset consensus, qui alligaretur conditioni substantiae matrimonii repugnanti. Conditiones impossibile quidpiam aut immorale, quod matrimonii substantiae haud repugnat, continentes pro non adjectis habendae sunt.

§ 54. Qui ante conditionem impletam matrimonium consummat, eo ipso conditioni nuncium mittit.

§ 55. Ut consensus sub conditione detur, non nisi de expressa Episcopi licentia admitti potest. Conditiones, quae in consensus declaratione haud exprimentur pro non appositis habendae sunt.

§ 120. De Matrimonio per Procuratorem inito.

Solet etiam matrimonium per procuratorem cum expressa tamen facultate Episcopi contrahi; de quo matrimonii contrahendi modo Instructio § 50. praescribit:

Consensus declaratio per procuratorem facta valida est, quando hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis sufficienter determinans, collatum, neque tempore forsan, quo mandantis nomine matrimonium contractum sit, revocatum jam fuerit. Parochus tamen matrimonium per procuratorem in eundem nullatenus admittat, nisi Episcopus facultatem expresse concesserit.

§ 121. Impedimenta Matrimonium impediunt.

Impedimenta matrimonium impediunt, quae matrimonium quidem prohibent, contracta tamen non irritant, passim his versiculis exponuntur:

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

§ 122. Sacratum tempus.

Per sacratum tempus intelliguntur dies poenitentiae sive jejunii, et peculiariter sacri et festi devotioni dicati, quibus sacri Canones fideles conjuges hortabantur, ut ab usu matrimoniali abstinerent; tales sunt dies jejunii quadragesimalis, et qui his aequiparantur feria quarta et sexta per totum annum.

Concilium Laodicenum Canone 52. statuit: Non oportere in quadragesima nuptias celebrare. In

spiritu autem hujus Canonis pluribus introductis abstinentiae diebus, utpote ante nativitatem Domini a 15-a Nbris usque festum Theophaniae, item a Dominica prima post Pentecosten usque festum Apostolorum Petri et Pauli, atque a prima Augusti usque festum assumptionis Beatae Mariae Dei genitricis, quibus accedunt dies exaltationis sanctae crucis, et decolationis S. Joannis Baptistae, atque octava Paschatis.

§ 123. Ecclesiae Vetitum.

Ecclesiae Vetitum seu interdictum est, cum Episcopus, aut iudex alius ecclesiasticus, vel Parochus interdicat alicui, ne contrahat matrimonium cum aliqua ob suspicionem alicujus impedimenti, donec constet an vere illud subsit, nec ne. De hoc, Instructio § 67. praescribit:

Quando fundata adsit suspicio nupturientibus impedimentum quoddam obstare, aut timendum veniat, nuptias magnis litibus vel scandalis, aliisque malis ansam praebituras, sacrorum Antistiti jus competit et respective obligatio incumbit, matrimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non sit, matrimonium contrahere illicitum est.

§ 124. Vetitum Parentum, Tutorum et Curatorum.

De hoc impedimento S. Basilius Magnus Can. 42. inquit: Graviter officium pietatis et reverentiae parentibus jure naturali debitum laedunt filii, qui sine consensu parentum matrimonium contrahunt. Haec

matrimonia prorsus illicita sunt*) imo antiquitus a lege praesertim civili invalida censebantur. Ast non licet hodie hujusmodi leges civiles jam diu ab Ecclesia rescissas, excitare, neque matrimonii a filiisfamilias absque parentum consensu initi firmitatem in dubium vocare. Lex Justiniani praescipit: Filius plenam tantum agens aetatem etiam sine consensu patris uxorem ducere potest. Lex etiam Austriaca talia matrimonia prohibet, etquidem a) Minorennium matrimonia absque consensu parentum vel tutorum: sunt autem minorenes, qui 24 aetatis annum nondum supergressi sunt; b) sub Curatela constitutorum, qui etsi 24-um aetatis annum superarunt, tamen ad quemcunque contractum ineundum incapaces declarati sub curatela constituuntur.

Distingvendum autem est inter minorenes legitimos et illegitimos, et quoad primos utrum patrem eorum vivat vel non; quodsi pater in vivis sit, minorens, vel etiam majorens sed sub curatela patris constitutus sine consensu patris prohibetur a contrahendo matrimonio; quodsi autem pater non amplius vivat, vel si vivat quidem, sed ad curatela filii sui inhabilis sit, loco ejus constitutus tutor aut curator debet assensum in matrimonium minorens aut curandi praebere, ac praeter hunc officium politicum *Judiciale* circulare. — Temporarie ad tutelam et curatela incapax est pater a) si usum rationis amisit; b) si prodigus declaretur; c) si propter crimen ad majorem quam unius anni carcerum poenam condemnatus sit; d) si sponte exeat ex Monarchia, aut ultra annum

*) Consule Bened. XIV. de S. D. Lib. IX. C. XI. Nr. 2. 3. et sequ.

absens sit, quin domicilium suum insinuet (§ 176. Cod. Civ. Austr.) Parentes autem, qui alimentationem et educationem filiorum negligunt jus parentelae in perpetuum amittunt (§ 177. Cod. Civ. Austr.) Illegitimi minorenes quoque indigent ad matrimonium contrahendum assensu suorum tutorum, et Officii circularis politici. *?*

Possunt autem parentes etiam contra prolium suarum majorennium matrimonia inhibitionem suam interponere et quidem proxime ante copulationem ex causis: malorum morum, infamiae, perversorum principiorum alterius partis competentis; sufficientes insuper causae sunt ad inhibendum matrimonium morbi contagiosi, defectus corporales scopum matrimonii impediens, et defectus sustentationis. Contra interpositum Vetitum parentum, sub gravi poena interdictum est animarum curatoribus matrimoniis adistere. Ipsi autem sub tutela et curatela constituti si contra voluntatem suorum tutorum matrimonium contrahant poenis in sensu § 507. Codicis poenalis subjacent, et privantur juribus et hereditate juxta § 31. legis matrimonialis Austriacae.

Nota. Quodsi parentes et tutores immediate ante copulationem matrimonio contradicant, Parochus auditis partibus si infundatam invenerit prohibitionem majorennium, poterit eos copulare, secus rem Ordinariatu insinuare debet, et copulationem differre, donec responsum ab Ordinariatu superveniat. Consequentiae autem contracti contra prohibitionem parentum matrimonii indicantur § 1220, 1222, et 1231. Codicis Civilis Austriaci.

Ceterum liberum est nupturientibus contra prohibitionem parentum ad Judicium civile recurrere.

§ 68. Instructionis relate ad prohibitionem parentum haec continet: Etiam in nectendo matrimonii

vinculo memores sunt filii familias Domini dicentis: Honora patrem tuum et matrem tuam! Praeterea prona est ad praepropera consilia juvenus, nisi maturioris aetatis experientia regatur, et conjugia absque debita deliberatione inita, uberem malorum continent fomitem. Quocirca illicita sunt matrimonia, quae parentibus justis ex causis assensum denegantibus contrahuntur.

§ 125. Vetitum status.

Ecclesia qua sacramentorum dispensatrix, ponit matrimonio impedimenta ratione sacramenti sub nullitate actus, sive dirimentia; status civilis autem, quantum status civilis bonum concerint ponit impedimenta prohibitiva sub in cursione poenarum civilium, et privatione effectuum et jurium civilium, qualia matrimonia civiliter non prohibita connexa habent; qua de re Instructio § 69. haec continet: Sanctum est Christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamēn Austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit. Sunt autem civiliter prohibita matrimonia.

a) Matrimonia praematura, de quibus § 72. Instructio praescribit: Procurandum est ut avertantur matrimonia eorum, qui annum quidem decimum

quartum, et respective duodecimum absolverunt, ast nondum attigerunt aetatem qua pro terrae gentisque ratione aptitudo ad matrimonium debita cum deliberatione ineundum et maturitas physica adesse solet.

b) Matrimonia minorennium sub patria potestate constitutorum, de quibus priori paragrapho sermo fuit, eo hic loci addito, quod idem jns, quod dicto paragrapho patri aut tutori vetandi matrimonium additum est, relate ad adoptivum filium adoptanti competat. (§ 183. Cod. Civ. Austr.)

c) Matrimonia militum, quo spectat etiam Gensdarmeria; vetitum est militi sine permissione suae superioritatis militaris matrimonium contrahere.

d) Prohibentur a contrahendo matrimonio ex parte status civilis. 1) Ob defectum consensu civilis. 2) Ob defectum concessionis matrimonii quibusdam officialibus civilibus. Quoad primum, consensus civilis in Austria praescriptus est Decreto aulico ddo 23. Decembris 1797. eo scopo, ne personae matrimonium contrahant, quae mediis sufficientibus sustentationis familiae carent. Quoad secundum, Officialibus civilibus exiguo salario in provincialibus quidem urbibus infra 300 flororum, et in oppidis infra 200 fl. provisus prohibitum est matrimonium sine facultate superioris.

e) Condemnatio ad mortem aut ad graves carceres a die publicationis sententiae, etiamsi sententia tus profugus fiat.

f) Adulteri sententia Judicis convicti prohibentur a matrimonio cum complice contrahendo sub poena nullitatis relate ad effectus civiles.

g) Prohibentur matrimonia quae praevis in Ecclesia tribus dominicis aut festis diebus promulgata

non sunt, aut dispensatio a tribus promulgationibus impetrata non est. Promulgatio facienda est sub publico cultu divino, et si sponsi in distinctis parochiis habitent, promulgationes in utroque loco instituendae sunt; relate autem ad matrimonia mixta etiam in Ecclesia catholica in cujus ambitu pars non catholica degit § 15. Ehe Patent ddto 8. Oct. 1856. Quodsi aut unus sponsorum non dum sex septimanas in loco ubi matrimonium contrahit degit, promulgationes denuo instituendae sunt. Instructio de promulgationibus sive Bannis nuptialibus haec praescribit.

§ 60. Matrimonium, antequam contrahatur, a paroco sponsi et sponsae tribus diebus dominicis vel festivis inter missarum solemnia publice denunciandum et omnis, cui impedimentum aliquod notum, ad revelandum istud monendus est. Persona nupturientium expresso utriusque nomine baptismali, cognomine, loco nativitatis, aetate, conditione ac domicilio adcurate determinetur.

§ 61. Si sponsus vel sponsa non tantum verum, sed etiam quasi domicilium habet, trina proclamatio tam a paroco veri, quam a paroco quasi domicilii eorum instituenda est. Quando autem contingat, ut persona quaedam praeter domicilium verum plus quam unum habeat quasi domicilium, sufficit, ut matrimonium a paroco veri ejusdem domicilii ac ab uno parochorum, in quorum territorio quasi domicilium habet, rite denunciatur.

§ 62. Si sponsus vel sponsa in nulla parochiarum, ubi secundum regulas antefatas proclamatio fieri debet, per sex saltem septimanas habitet, proclamatio instituatur praeterea in Ecclesia parochiali ejus loci, ubi persona, de qua agitur, ultimo per sex saltem

hebdomadas habitaverit. Peculiaribus rerum adjunctis, ne id commode fiat, obstantibus, ea de re ad Episcopum referendum est.

§ 63. Apud eos, qui neque verum habent domicilium, neque in loco quasi domicilii per anni ad minimum tempus jam commorantur, proclamationes etiam, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium eis competunt, et quando ejusmodi jura nullibi eis competant, quantum fieri possit, etiam in parochia loci eorum natalis instituendae sunt. Nupturiente non tantum vero, sed etiam quasi domicilio carente, proclamatio fiat tam in parochia, ubi tunc temporis commoratur, quam in loco, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium ei competunt, aut quodsi nullibi iis gaudeat, quantum fieri possit in parochia loci natalis.

§ 64. Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractas menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovacionem Episcopus imperet.

§ 65. Antequam proclamationes rite institutae fuerint, matrimonium licite contrahi nequit.

§ 126. Dispensatio a Bannis seu proclamationibus.

Jus dispensandi a proclamationibus Episcopus habet, et ejus Vicarius generalis, nisi Episcopus sibi exclusive reservasset. Dispensatio ob omnibus tribus proclamationibus nonnisi urgentissimis in casibus, a secunda vero et tertia proclamatione nonnisi ex causis consideratu dignis et sufficienter probatis concedenda est. (§ 82. Instruct.) In instanti mortis periculo delegatus per Episcopum Presbyter a Bannis

dispensare potest. (§ 83. Instruct.) Dispensatio ab omnibus tribus promulgationibus absque gravissima causa deneganda non est, si duae personae, quae conjugio se junctas falso asserunt, et in loco domicilii passim pro conjugibus habentur, matrimonium inter se contrahere volunt. (§ 84.) Nupturientes tamen, quibus proclamationes penitus indulgentur, nunquam non tenentur coram parochio, ad quem copulatio spectat, juramento firmare, quod ipsis nullum impedimentum conjugio suo obstans notum sit. (§ 85. Instruct.)

Nota. Quodsi sponsi ad duas Dioeceses spectent ab utriusque Episcopo producenda est dispensatio.

§ 127. Vetitum status ob defectum intervalli temporis.

Jam apud Romanos observabatur annus luctus, quo a morte mariti vetitum erat mulieri nubere, legislatio autem Austriaca sanxit: si vidua post mortem mariti, aut pronunciatam mortem mariti, aut femina post pronunciatam nullitatem matrimonii gravida sit, prohibetur a matrimonio usque ad partum, aut si dubium sit de graviditate, ante effluxum sex mensium vetatur copulari. Quodsi vero graviditas probabilis non sit, cum dispensatione, quam in casu declaratae nullitatis matrimonii Gubernium provinciae, et Prefectura Comitatus vel circuli, in casu vero praecessae mortis conjugis tantum Gubernium provinciae (Statthalterei Landesstelle) elargitur, permittitur nubere. § 76. Ehepatent.)

§ 128. Reliqua requisita ad ineundum matrimonium.

1) Siquidem matrimonium sit sacramentum, requiritur ut sponsi sint in statu gratiae sanctificantis,

ideoque se ante copulationem sacramentis poenitentiae et Eucharistiae emundent. (§ 75. Instructionis.)

2) Qui patres et matresfamilias fieri volunt debent esse ad educationem sobolis idonei, in principiis religionis Christianae debite instructi; hinc jus competit parochio sponso ante matrimonium examinandi, et officium instituendi. (§ 74. Instruct.)

3) Requiritur productio documentorum, qualia sunt: Literae baptismales, Testimonium liberae conditionis seu status coelibis vel vidui. Testimonium de proclamationibus suis locis institutis, ac pro renata dimissio a parochio unius sponsi, aut Literae delegationis alterius Presbyteri ut matrimonio legaliter assistere valeat. Cooperator vero et Adjutor Parochi, illo impedito delegatione non indiget, quam pro tali casu per dispositionem Episcopi habet. Quoad minores autem et sub curatela constitutos, documentum super praestita per parentes tutores et jurisdictionem politicam civili consensu. Sicque solutis omnibus dubiis, ac procuratis de lege procurandis matrimonialis copulatio instituenda est. (§ 70. Instruct.)

§ 129. Matricula copulatorum.

Super actu copulationis praescriptum est, ut is cum omnibus circumstantiis libro, qui Protocollum vel Matricula copulatorum dicitur genuine inscribatur. Instructio hac de re sequentia praescribit:

§ 76. Parochus, cui copulationem peragere competit, tenetur, matrimonium contractum cum omnibus adjunctis, quae ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiae suae propria manu inscribere. Distincte igitur expriman-

tur: Nomen baptismale, cognomen, aetas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper, an prius jam matrimonio juncti fuerint; porro nomen, religio, et conditio parentum et testium, dies, quo, nec non sacerdos coram quo matrimonium inierunt. Quodsi difficultates emergerint, modus, quo sublatae fuerint, indicandus venit.

§ 77. Quod si parochus sacerdotem quemdam deleget ad copulandum sponso in loco, ubi neuter eorum domicilium habet, incumbit ipsi, rem in libro copulatorum parochiae suae annotare. Parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, actum modo superius exposito libro copulatorum parochiae suae propria manu inscribere, et addere simul debet, a quonam parochus delegatio concessa sit. Posterior tenetur pariter, copulationem peractam, de qua spatio octidierum certior reddendus est, libro copulatorum parochiae ipsius inferre.

§ 78. Casu, quo civis Austriacus petit, ut matrimonium ab eo in exteris terris initum libro copulatorum parochiae, ubi nunc domicilium fixit inseratur, parochus, libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis Episcopo proponet ac ejusdem exspectabit mandata.

§ 130. Remotio Impedimentorum Matrimonii.

Inter impedimenta matrimonii alia sunt juris naturalis divini, v. g. impedimentum ligaminis, impedimentum cognationis primi gradus etcet., alia autem positivae institutionis ecclesiasticae, priora removeri nulla dispensatione possunt, posteriora vero tam antecederent quam consequenter tolli possunt; hinc

canonistae distinguunt dispensationes in contrahendis et contractis matrimoniis. Has dispensationes elargitur Ecclesia qua legislatrix, cujus est etiam jus veniam propriae legis faciendi. Quia autem summus Pontifex pro toto grege Domini possidet a Deo sibi datam potestatem ligandi et solvendi, patet ad potestatem summi Pontificis spectare a legibus ecclesiasticis, proinde etiam ab impedimentis matrimonii dirimentibus dispensationes elargiri; dein etiam Episcopi ex delegatione Pontificia quoad casus Pontifici haud reseratos et in facultatibus Episcoporum expressos legitime dispensant. Qua de re Instructio sequentia continet: § 79. Ea matrimonii impedimenta, quae juris canonici sanctionibus innituntur, dispensatione legitime obtenta, et conditionibus, quae forsitan adjunctae sint, adimpletis pro singulis cessant casibus. In impedimentis dirimentibus proprio jure dispensare solius Apostolicae Sedis est, cui reservatum quoque in voto castitatis simplici, sed perpetuo, nec non in disparitate cultus inter catholicos et Christianos non catholicos dispensationem indulgere;

§ 80. Episcopi, cum canonicae non deficient rationes, faciles erunt in utendo facultatibus a sancta Sede concessis, sequentia quoad impedimenta.

1. In tertio et quarto gradu (graeco quinto, sexto, septimo et octavo) consanguineitatis et affinitatis ex copula licita.

2. In cognatione spirituali.

3. In affinitate ex copula illicita, nisi timendum sit, ne ex immundis commerciis nupturientes consanguineitate in linea recta juncti sint.

4. In tertio et quarto gradu justitiae publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato.

5. In justitia publicae honestatis proveniente ex matrimonio invalide contracto et non consummato, aut ex sponsalibus.

§ 81. Cetera quod adtinet impedimenta dirimentia, unanimi conatu agendum est, ut efficax eorum vigor aut asseratur aut restituatur. Ubi matrimonia inter consanguineos proximiores inita frequentiora sunt, corrumpuntur intima familiarum commercia, utpote cupidinem pravam, ejusque suspicionem excitantia.

§ 131. De sanatione matrimonii in radice.

A dispensatione simplici, per quam tollitur impedimentum valori matrimonii obstans, differt dispensatio in radice matrimonii in eo, quod dispensatio simplex effectum suum non habet, nisi a tempore a quo conceditur, seu ex nunc, dispensatio autem, alias sanatio in radice effectum suum habet a tempore, quo matrimonium contrahebatur, seu ex tunc, idest per fictionem juris ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, ponit res in eodem statu, ac si impedimentum nunquam exstitisset; adeoque dispensatio vel sanatio matrimonii in radice obtinet tunc, dum ablato per dispensationem impedimento legis ecclesiasticae, matrimonium ob dictum impedimentum nulliter quidem, sed cum consensu naturali initum ita redditur validum in omnibus suis effectibus, ac si contrahentes, qui ad matrimonium contrahendum inhabiles fuissent, et consensum illegitime praestiterant, ab initio habiles fuissent et consensum legitime praestitissent; ideo consensus renovatione sanato primo consensu, qui per hanc dispensationem vim

suam naturalem exerit, ac si ab initio in radice validus fuisset, opus non est, ut tale matrimonium in radice sanatum convalidetur. Usus hujus dispensationis, sive sanationis matrimonii in radice fit, dum conjuges, si ipsis impedimentum ecclesiasticum, quod valori matrimonii obstat, detegeretur, eodem abuti possent ad solvendum matrimonium. Hujusmodi dispensationem solummodo summus Pontifex impertitur, Benedicto XIV. ddo 27. Sept. 1755. in Rescripto „Etsi matrimonialis“ enunciante: Solius Romani Pontificis est, dispensationes in radice matrimonii indulgere et conditiones statuere pro validitate gratiae adimplendas.

§ 132. De Impetratione dispensationis ab impedimentis dirimentibus.

Dispensatio ab impedimento matrimonii efficaciam suam obtinet a veritate et sinceritate petitionis pro impetranda dispensatione substratae; dispensatio ideo obreptitiae, vel subreptitiae obtenta, nullius est efficaciae, item si non adimpleantur conditiones dispensationi adnexae. Hinc § 86. Instructionis praescribit: In libello supplici, quo dispensatio petitur, impedimentum cum omnibus adjunctis, a quibus ejusdem qualitas dependet, clare exponendum est, insuper rationum momenta, quibus petitio fulcitur, necessariis allegationibus instruantur. Episcopus de factis, quibus ejus decisio, vel relatio sanctae Sedi proponenda innitatur oportet, investigationes necessarias habebit. § 87. Quod si impedimentum occultum, nec ipsius propalatio prudenter timenda sit, ad conscientiae consulendum dispensatio suppresso conjugum nomine etiam per confessarium

seu aliam idoneam personam peti ac impetrari potest. Hujusmodi tamen dispensatio in foro externo nullatenus suffragatur; quocirca quando impedimentum praeter expectationem publicum fieret, ne matrimonium coram iudice humano in discrimen adducatur, dispensationem pro foro externo valituram servatis servandis petere oporteret.

§ 133. De convalidatione matrimonii.

Principium Ecclesiae Orientalis est: matrimonium facit non concubitus sed consensus" ubi igitur consensus in principio defuit, praestito consensu matrimonium quod antea invalidum fuit, validatur, quemadmodum etiam si matrimonium cum impedimento dirimente dispensabili contractum fuit, sublato eodem per dispensationem et renovato consensu convalidatur. Convalidari autem nunquam possunt matrimonia, quibus obstat impedimentum juris naturalis aut divini, sicut est: impedimentum impotentiae, ligaminis, consanguineitatis in linea recta, et in primo gradu lineae collateralis. Distingvendum porro est, num dispensatio ab impedimento dispensabili data sit pro foro conscientiae tantum, aut pro foro externo. Si dispensatio data sit tantum pro foro conscientiae, matrimonium convalidatur per renovationem consensus ab utroque conjuge absque praesentia parochi et testium. Quod si autem dispensatio data sit pro foro externo, consensus invalide copulatores coram parochi, in cujus parochia conjuges domicilium habent et duobus testibus ad convalidandum matrimonium renovandus est. Proclamationes autem tantum tunc repeti possunt, quando impedimentum, a quo dispensatum est, in loco, quo

convalidatio instituenda veniat, notorium sit. Si impedimentum mutatione facti v. g. quoad impuberes per pubertatem, quoad bigamos per mortem prioris conjugis etcet. tollatur; tunc, si impedimentum fuerat publicum, coram parochi et duobus testibus; si occultum, clam inter partes consensus renovandus est. Etiam dum matrimonium e defectu veri et liberi consensus nullum, praestito postmodum consensu sive verbo sive facto, puta maritali cohabitatione et usu matrimonii affectu maritali, convalidatur, ad omne de consensu praestito dubium avertendum consultum est, ut conjuges coram parochi et duobus testibus consensum suum declarent. Parochus autem nunquam non convalidationem peractam libro copulatores inserere debet; quando autem conjunctio invalida in alia parochia contracta fuerit, super peracta convalidatione, etiam ejus loci parochus edocendus est, ut ipse quoque convalidationem peractam in scriptioni, quae de matrimonio invalido facta sit, diligenter adjungat. (confer. Instructionis § 88—93.) Matrimonium convalidatum eosdem habet effectus civiles, ac si ab initio valide contractum fuisset. Idem de effectibus ecclesiasticis obtinet, quando vel una tantum pars nuptiarum celebratarum tempore ignorantia facti aut juris detenta fuerit. Alias ad dispensationis remedium confugiendum erit. (§ 94.)

§ 134. De Iudice causarum matrimonialium.

Judex causarum matrimonialium quantum ad sacramentum et obligationes ex eo derivatas est Iudicium ecclesiasticum, quod Tribunal matrimoniale nominatur. Relate autem ad effectus matrimonii ci-

viles, Judex competens civilis est. Benedictus XIV. Constitutione sua quae incipit. „Dei miseratione“ de 3-a Novembris 1741. decrevit: ut 1) Causae super nullitate matrimonii non nisi Episcopo, aut ubi is desit, Judicibus synodalibus, dignitate, personatu, aut canonicatu in Ecclesia cathedrali ornatis committi, nec nisi post duas sententias conformes finiri queant. 2) In singulis Dioecesibus vir juris peritus et probus eligatur Defensor matrimonii, qui a) in singulis, ubi de matrimonii valore vel nullitate agitur, judicii actibus sub nullitate actus adesse debeat. b) Vi officii valorem matrimonii tueatur, et contra sententiam valori ejus adversam appellet. 3) Si qui pendente appellatione novas contrahant nuptias ceu polygami separentur. 4) Nec nisi post duas conformes de nullitate matrimonii sententias, aut desertam secundam appellationem, nuptias novas inire partibus liceat. Ceterum 5) causae hae in rem judicatam (seu ut impugnari non possint) nunquam transeant.

§ 135. Judex ecclesiasticus nullitatem tantum matrimonii pronunciare, atque conjuges ab obligatione cohabitationis liberos declarare, nunquam tamen matrimonium ratum et consummatum solvere potest.

Dogma est Ecclesiae Christiano-Catholicae: „Matrimonium ratum et consummatum non nisi morte solvi,“ sive matrimonium sacramentum esse absolute indissolubile. Christus enim Math. XIX-o matrimonium a Deo absolute indissolubile institutum esse pronunciat a Deo ipso conjunctum, quod ergo Deus conjunxit homo non separet; erunt porro inquit Deus duo in carne una, quod autem unum est di-

vidi nequit ut unum maneat. Moyses autem ait Christus, tantum propter duritiam cordis permisit dare libellum repudii, sed ab initio non fuit sic. Christus ipse ideo venit in mundum, ut hominem peccato lapsum restitueret ad conditionem originariam, ergo etiam matrimonium ad indissolubilitatem primam; ideo S. Paulus 1-ae ad corinth. Cap. 7. v. 10. inquit: „Iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus uxorem a viro non discedere, quod si discederet, manere innuptam quamdiu vivit vir ejus.“ Sed 2-o Juxta S. Apostolum Paulum Matrimonium est Symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia; ad Eph. Cap. V. v. 25. ait: Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum obtulit pro ea, — Sacramentum hoc (Matrimonium) magnum est, dico autem in Christo et Ecclesia; sive inter virum et uxorem idem indissolubile vinculum existit, quale inter Christum et Ecclesiam, ut quemadmodum Christus ab Ecclesia sua solvi non potest, ita neque vir a muliere. Ideo S. Augustinus indissolubilitatem matrimonii ejus sacramentalitati adscribit dicens: „Matrimonium apud Christianos est etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est repudio discedentem alteri nubere.“

§ 136. Quoniam Matrimonium ex institutione Dei, et restitutione per Christum est absolute indissolubile, nec ex Capite adulterii solvi potest.

Matrimonium ratum et consummatum qua sacramentum, absolute indissolubile, ex nulla causa subsequente, ergo nec ex causa fornicationis vel adulterii solvi posse, ex ipso dogmate priori §-o exposito absolutae

indissolubilitatis matrimonii legitima conclusione deducitur. Sed hanc veritatem comprobant etiam universalis Ecclesiae Canones Synodales, quibus nulla exceptione, nec etiam ex capite fornicationis vel adulterii commemorata absoluta matrimonii indissolubilitas enunciatur. Canonis Apostolorum XLVIII. verba sunt: „Si quis Laicus sua ejecta uxore vel aliam acceperit, vel ab alio dimissam, segregetur.“ (quin adjectum sit excepta causa fornicationis.) Canon 77. S. Basilii decernit: „Qui mulierem quidem sibi legitime copulatam dimittit et aliam ducit, secundum Domini sententiam adulterii iudicio subicitur.“ (pariter nulla exceptione ex causa adulterii adjecta). Hinc, si quidam Interpretes Canonum graeci praeter verba Canonis ipsi exceptionem ob causam fornicationis adiciant, additamentum hoc eorum privatam opinionem, non vero Ecclesiae doctrinam prodit; contra quam Canonum Interpretum sententiam S. Basilius sensum Canonis sui citati in Libro de Virginitate pag. 755. sic exponit: „Non auditis inquit, quoniam, qui dimissam duxerit mechatur; etsi enim pro culpa (propter adulterium) dimissa est, vivit tamen vir ejus.“ Quibus verbis S. Pater propter adulterium ligamen inter virum et mulierem non solvi, sed persistere, ideoque eam sine adulterio alteri conjungi non posse docet, simulque Textum Joannis Capite XIX.: Si quis (etiamsi ex Capite adulterii) dimissam ducit, mechatur, „catholice interpretatur. Idem docet etiam S. Chrysostomus Hom. 8-a in Matthaeum scribens: „Expulsa quoque uxor ejus esse, qui eam expulit, perseverat.“ Communem autem hanc Ecclesiae doctrinam S. Augustinus Libro 11. de Adulterinis conjugiiis Cap. V-o sic exponit: „Toties repetita, toties inculcata vera sunt, sana

sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite igitur dimittitur conjux ex capite fornicationis, sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro, carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.“ Ex quibus S. Augustini verbis ligamen inter conjugatos non obstante adulterio persistere et sola morte matrimonium solvi extra dubium est.

Nec aliud docet ipsum Concilium Trullanum Canone XCIII. verbis; „Sin autem miles aliquanto post tempore redierit, cujus uxor propter longam illius absentiam alteri viro conjuncta est, is si velit propriam uxorem recipiat.“ Cum igitur dicat Concilium propriam uxorem, patet ex Sententia Concilii per subsequum adulterium non evasisse alterius uxorem, sed propriam primi mariti mansisse.

Quod autem Can. IX. S. Basilii Magni, ad quem doctrinae catholicae de absoluta vinculi matrimonialis indissolubilitate adversarii provocant, adtinet, S. Basilius in hoc Canone non de solvendo vinculo, sed solum de facultate matrimonialem cohabitationem propter adulterium interrumpendi, quae non solum viro sed et mulieri competere debeat loquitur; atque in contextu hujus Canonis expresse enunciat, ne quidem a viro infideli separandam esse mulierem propter incertitudinem eventus, multo minus autem ob fornicationem. Ceterum recte observat Natalis Alexander in sua Theologia morali de matrimonio: „Invaluit quidem aliquando prava consuetudo, quae viro, repudiata ob adulterium uxore, nubere alteri permittebat. Verum Origenes priscos illos Episcopos contra scriptu-

ram permisisse asserit, dimissis conjugibus alias ducere. " Quam primitivae Ecclesiae doctriam clare exhibet Hermas discipulus Apostoli Pauli, Libro II. Pastoris mandato 4-to ita Deum effando: „Domine! si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, numquid peccat vir, qui convivit cum illa? Huic respondit Dominus: quamdiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa; si autem sciverit uxorem suam deliquisse, et non egerit poenitentiam mulier, et permaneat in fornicatione sua, et convivit cum illa vir, reus erit peccati ejus, et participes machinationis ejus. Addit vero Hermas: Quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? cui Dominus: dimittat illam vir et per se maneat (seu aliam non ducat). Prosequitur Hermas: quod si mulier dimissa poenitentiam egerit et voluerit ad virum reverti, nonne recipietur a viro suo? et Dominus: imo si non receperit eam vir suus, peccat, et magnum peccatum sibi admittit." Quibus apostolicae aetatis vir docet mulierem ob adulterium quidem dimitti posse, neutri tamen parti altero matrimonio conjungi permissum esse, propter vinculum inter eas permanens, imo poenitentem per virum iterum in consortium vitae recipiendam esse. — Cujus doctrinae evangelicae ignari non sunt ipsi etiam recentiores Constantinopolitani non-uniti, qui in suo Codice Canonum Pidalion dicto, 1800-mo Lipsiae typis edito in Nota ad Canonem XLVIII. Apostolorum sequentia adnotarunt: „Sententia Domini est, „ut nec vir separetur ab uxore sua, nec mulier a viro „suo, quia aequaliter Dominus et propter virum et „propter mulierem dixit: quicumque dimiserit uxorem „suam et duxerit aliam, adulterium committit cum „illa. Etsi dimiserit mulier virum suum, et nubserit

„alteri, adulterium committit cum eo: sine addita- „mento excepta causa fornicationis sive quoad virum „solum, sive quoad mulierem solam. Marci Cap. 10. „v. 11. et 12. — Dein aliis interjectis: Observa autem „quoniam etiamsi Dominus permiserit separari mari- „tos ab uxoribus suis e capite fornicationis seu adul- „terii, Episcopis tamen non convenit dare illis etiam „facultatem ut ad alias nuptias transeant, sed diu- „turno tempore ita separati maneant, usque dum no- „cens pars poenitentiam egerit, et conversa fuerit „cum humilitate ad partem innocentem, et promiserit „de hinc servare ejus honorem, et sic iterum conjun- „gantur, quoniam etiam Dominus non permisit sim- „pliciter propter solum adulterium separari." Ideo „recte observat Zonaras in expositione Canonis 9. et „21. S. Basilii: „non cogitur maritus expellere conju- „gem suam adulteram, sed potius laude dignus est „vir et sapiens, qui iterum recipit uxorem suam „etiam post commissum per eam adulterium ex dua- „bus causis. Primo, propter dilectionem et misericor- „diam, quam exhibet proprio corpori, quod est mulier „sua etiamsi adultera, imitando ipsum Dominum omnium „Deum, qui naturam humanam adulteratam per ido- „latriam adoptavit in sponsam suam per suam in- „carnationem, et salvavit eam per conjunctionem se- „cum. Et quemadmodum attributum est sapientis „hominis, ut si vulneretur aliquod membrum, non ab- „scindat illud a se, sed potius adnitatur, ut illud sa- „netur: ita attributum sapientis hominis est, ut si „peccaverit membrum suum, idest mulier sua, non se- „paret illam, sed eo magis adnitatur corrigere illam „per poenitentiam et conversionem. Secundo, quoniam „haec immundities, idest adulterium inter virum et

„mulierem interventum, ex justitia Dei ob causam
 „anteriorum eorum delictorum processit. Ideo con-
 „venit ut unus alterum patiatur et non separentur.
 „Quoniam si Apostolus dicit: vir fidelis cohabitabit in-
 „fidei mulieri, et mulier fidelis cum viro infidei pro-
 „pter spem salutis utriusque, 1-ae ad Cor. C. 7. v.
 „16.: quanto magis convenit cohabitare et non sepa-
 „rari ab invicem, etiamsi adulterium interveniret, dum
 „conjuges juxta Apostolum nec Idololatriae causa
 „separat, quae tamen majus est omnibus peccatis.
 „Ita etiam S. Basilius admonet, ut misereatur vir,
 „quod si poenitentiam egerit et conversa fuerit con-
 „jux sua, et recipiat illam qua proprium suum mem-
 „brum.“ Quibus, Constantinopolitani ipsi consonant
 Ecclesiae catholicae docenti evangelicam et apostoli-
 cam esse doctrinam matrimonium ex capite adulterii
 solvi non debere, neque posse, ut adeo nemo dixerit
 sive doctrinam Ecclesiae Orientalis sive disciplinam
 esse, ut matrimonium ex capite adulterii solvatur, sed
 esse et fuisse semper pravam consuetudinem per le-
 gislationem civilem introductam, per Ecclesiam autem
 semper reprobata, dicente ad hoc S. Chrysostomo
 juxta Pidalion, quoniam Dominus non judicabit nos
 (Episcopos) secundum leges politicas, quae admittunt
 matrimonium e capite adulterii solvi, sed secundum
 leges quas ipse de matrimonio sanxit.

In quantum autem in Pidalion ad finem ejusdem
 Notae dicitur, „Unica proinde justa divortii causa
 „est, seu solutionis vinculi, dum una pars vitae alte-
 „rius insidiatur“, confirmat quidem Pidalion juxta
 prius dicta matrimonium ex capite adulterii solvi
 non posse; adstruendo tamen unicam divortii causam
 justam esse insidiationem vitae, prioribus contradicit,

quibus provocando ad apostolicam et S. Patrum do-
 ctrinam matrimonium nec propter idololatriam, quod
 omnium criminum maximum est, solvi debere adstru-
 xit, et merito quidem, namque Concilium jam Car-
 thaginense Canone CXIII. (107. Pidalion) enunciavit:
 „Ut secundum evangelicam et apostolicam doctrinam
 neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito al-
 teri jungantur; sed ita maneant, aut invicem re-
 concilientur.“ (nulla exceptione facta sive ob adulterium,
 sive ob idololatriam, tanto minus vero ob insidiationem
 vitae). Ex quibus deviationibus patet soliditas do-
 ctrinae catholicae: matrimonium ratum et consumma-
 tum non nisi morte unius conjugis, nulla autem ex
 subsequente causa solvi posse. Merito proinde Patres
 nostri in Concilio generali VIII. Constantinopolitano
 IV. exclamarunt: Optamus, ut in illa Unione, quam
 S. Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua
 sola est religionis Christianae soliditas.

Quum igitur concors Orientalis non minus ac Oc-
 cidentalis Ecclesiae doctrina quoad absolutam indis-
 solubilitatem matrimonii rati et consummati etiam in
 casu adulterii, nec hac exceptione in ullo Canone Ec-
 clesiae Orientalis occurrente, per ipsos schismaticos
 graecos, qui se orthodoxos tenent, confessa sit, mani-
 festum est, quod contraria doctrinae ipsius Orientalis
 Ecclesiae solvendi matrimonii praxis, et quidem non
 modo e causa adulterii, sed etiam pluribus aliis de
 causis, quas Pravila exhibet*), quae apud Graecos in-

*) Quas adfert etiam Blastares ex Nov. Justin. 117.
 Pro marito: Maritum repudium uxori mittere posse: 1) Si con-
 jurationis contra imperium conscia viro suo non revelet. 2) Si
 vitae mariti insidiata sit. 3) Si cum extraneis uxor convive-

valuit, originem suam debeat legibus pure imperia-
libus, tum sacris literis tum apostolicae traditioni hac
in re adversantibus ab ignavis Ecclesiae photianae
praesulibus uti leges canonicas adoptatis. Quam in
rem apposite inquit Perone (de matrim. Tom, III. p.
398. et sequ.): „Quamdiu in Ecclesia graeca severior
disciplina viguit, vix ulla harum legum ratio habita
est; quin imo Patres legibus civilibus leges Christi
opposuerunt. Verumtamen illius gentis indoles, quae
supremam imperialem dignitatem velut sacro quodam
cultu prosequeretur, illique ea etiam deferebat, quae
juris Ecclesiae sunt, effecit ut graeci assentationis
spiritu ducti coeperint pedetentim a primaevo insti-
tuto desciscere, atque ex praescripto civilium legum
se se gerere in hoc praesertim negotio, in quo cupi-
ditates magnam adeo sibi partem vindicant. Ab
initio quidem timide, postea vero audacius, cum con-
svetudo jam altas radices egisset; donec longe late-
que obtinuerit et quadamtenus pessimus mos prae-
scripserit, dissimulantibus prius, deinde vero proban-
tibus supremis illius Ecclesiae (graecae) pastoribus.

Magis autem ac magis abusus ejusmodi increbuit,
ex quo seculo VIII. Imperator Constantinus, Basilii
filius, repudiata Maria armena legitima uxore, Theo-

tur aut lavetur. 4) Si nolente marito extra domum manserit.
5) Si nolente marito ludis, theatri interfuerit. Uxor autem
repudium marito mittere possit: 1) Si maritus contra imperium
conspiret. 2) Si vitae uxoris insidiatus sit. 3) Si uxoris ca-
stitati insidiatus sit, eamque aliis prostituendam tradere ten-
taverit. 4) Si adulterium contra uxorem prolatum probare
non potuerit. 5) Si maritus vel in domo sua vel extra eam
cum alia muliere cohabitaret, atque admonitus non desistat.

dotam cubiculariam duxit; quod nefarium facinus,
licet omnes severiori disciplinae studentes detestaren-
tur, attamen a non paucis ignavis Episcopis probatum
fuit¹⁾. Hujus Imperatoris exemplum, ut fieri solet,
plurimos habuit imitatores. Majora denique nacta
est ejusmodi consuetudo seu corruptela incrementa
post luctuosum schisma Photii et Michaelis Caerularii;
ex eo enim tempore, historici omnes consensu animi
exprobrant graecis divortiorum effraenem licentiam,
non solum in casu adulterii, verum etiam ob alias
longe minores causas²⁾. Quod quidem malum dissi-
mularunt graeci antistites eo etiam nomine, ne si
nimis objurgarentur, qui se his repudiis foedare aude-
bant, ad mahomedanismum desciscerent. Ast, (pro-
greditur Perone) si aliqua excusatione digni videntur
Praesules illi, qui sub islamitica ditione constituti
sunt, profecto eam obtendere nequeunt ii, qui extra

¹⁾ Cf. Baronium ad an. 795. N. XLII. sequ. cum notis
Pagii, qui rem totam fuse refert, et magnas in Ecclesia Con-
stantinopolitana propter hoc scelus exortas discordias. Unicus
ab initio restitit Constantini flagitio S. Plato, monachus, qui
ideo cum monachis suis ab Imperatore in carcerem conjectus
et afflictus fuit, prout refert Studita apud eundem Baronium
loc. cit. ed. Luc. tom. XIII.

²⁾ Etenim praeter supra sub *) recensitas causas, adhuc
aliae quoque recensentur, utpote 1) Impotentia mariti intra
matrimonium. 2) Amplexus vitae monasticae alterius conju-
gum. 3) Captivitas, si per quinquennium de captiva parte
resciri nequeat an vivat. Causae hae recensentur etiam in
Photii Nomocanone tit. XIII. Cap. IV. Et quae in Pravila
occurrunt adhuc, prout: Abortus procuratio, congressus cum
uxore contra naturam, defloratio et furor, etcet. Lepora, ob-
sessio daemonis, perfida desertio, (e sententia Synodi Constan-
tinopolitanae sub Patriarcha Dositheo an. 1554.)

illam ditionem versantur, ut in Valachia, Transsylvania aliisque finitimis regionibus, in quibus adhuc vigent non pauci ex ejusmodi abusibus ob juris Canonici quod penes ipsos receptum est (Pravila) auctoritatem. Idem dic de novo Graeciae regno, in quo eadem legislatio denuo adoptata et confirmata est¹⁾.

Et haec quidem quoad Ecclesias ab unitate Ecclesiae catholicae separatas: nam quod attinet ad Ecclesias graeco-unitas, licet abusus omnes nondum aboliti sint, recessum tamen sensim et pedetentim est a non paucis corruptelis, quae prius obtinuerunt. Dixi „nondum abusus omnes abolitos esse“; siquidem usque ad haec fere tempora praesertim in catholica transsylvaniensi provincia matrimonia dissolvebantur ob probatum adulterium et perfidam desertionem, quae ut plurimum adulterium involvit. Idque sub obtentu quod iis a sacra Sede Apostolica concessum fuerit in actu unionis, quae facta est anno 1699. Imperatoris Leopoldi potissimum opera. Jam vero perperam ipsi autumant hac occasione absque ulla restrictione permissum eis fuisse propriam disciplinam moderari juxta Pravilam, corpus juris Ecclesiae graecae, quod digestum erat ante unionem. Porro praeterquam quod nullum Romae hujus concessionis existit documentum, certum est quod in diplomate Imperatoris Leopoldi dato die 16. Februar. 1699. genti Valachae, graecae et ruthenae, praeter admissionem quatuor articulorum, quibus dissentiebant gentes illae ab Ecclesia Romana²⁾, praemittebatur tamquam necessaria

¹⁾ Conf. Harmenopuli Epitomen divinatorum Canonum et legum.

²⁾ Nempe 1) de Romano Pontifice supremo totius Eccle-

conditio unionis, quod dicta natio teneretur: „Omnia ea admittere, profiteri, ac credere, quae sancta mater Ecclesia romana catholica admittit, profitetur et credit*). Hoc diploma publice lectum est in comitiis generalibus Transsylvaniae, quin ulla fieret oppositio, die 8. Sept. 1699; cum autem inter cetera, quae admittit, profitetur et credit Ecclesia romana, sit etiam articulus de absoluta indissolubilitate matrimonii christiani etiam in casu adulterii, nec eum ignorare certe possent graeci illi, qui se Ecclesiae catholicae univertunt, plane consequitur haud datam eis esse libertatem sectandi hoc in articulo antiquum illud jus Canonicum (seu Pravila).

Quodsi post unionem adhuc inolitus hic abusus perseveravit dissolvendi propter adulterium ac perfidam desertionem conjugium, id factum est contra Ecclesiae Romanae mentem. Verum tamen firmitate ac perseverantia Fogarasiensium Episcoporum ejusmodi dissolutio cessavit.

Sacra etiam Sedes Apostolica nunquam destitit, quoties se se obtulit occasio, ab ejusmodi abusibus improbandis. Eugenius IV. Pontifex in decreto unionis Armenorum, doctrinam de indissolubilitate matrimonii his verbis complexus est: „Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Ter-

siae capite; 2) de Consecratione Eucharistiae in pane azymo sufficienti; 3) de purgatorio; 4) de processione Spiritus Sancti etiam a Filio.

*) Hujus diplomatis transumptum adest in archivis S. Congregationis de propaganda fide.

tium indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.“ Idem enunciavit etiam Clemens VIII. in instructione pro Italo-graecis. Urbanus VIII. autem, in fidei professione emittenda ab eis, qui e schismate vellent in unionem Ecclesiae catholicae redire hanc formulam praescripsit: „Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter conjuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.“ Et Benedictus XIV. Constitutione „Etsi Pastoralis.“ Matrimonia inter conjuges graecos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullomodo patiantur; et si quae de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

§ 137. Matrimonium tamen ratum solum, sed non consummatum per professionem in Ordine Monastico alterius conjugum, et per summi Pontificis sententiam solvi potest.

Matrimonium ratum, nondum tamen consummatum, per professionem monasticam unius conjugum, vel per dispensationem et sententiam summi Pontificis solvi posse ad § 100. de Impedimento ligaminis demonstratum est, et quidem ex ratione, quoniam juxta enunciationem Innocentii III. Pontificis: Conjugium illud, quod non est commixtione corporum con-

summatum non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.

CAPUT III.

DE REBUS SACRATIS.

§ 138. Prologus.

Ad res sacratas, quae speciali ritu sacro ad finem spiritualem destinantur, spectant: Tempus sacratum, Loca sacrata, et supellex sacra, de quibus Capite hoc agitur.

§ 139. De tempore sacrato.

Tempus sacratum est, quod cultui divino cum abstinencia a laboribus servilibus sacratum est. Dies temporis sacrati sunt alii festi, alii poenitentiales, jejunii, quorum aliquos ex apostolica traditione tenemus, aliquos Ecclesia propria potestate constituit, et ad Calendarii ecclesiastici normam servandi sunt.

§ 140. Origo Festorum.

Prout lex antiqua suos habuit festos dies cultui Dei dicatos, ita in lege nova sensui ejusdem conformia festa instituta sunt. Apostoli in locum Sabbathi per legem christianam abrogati diem solis, redivivi a morte Christi memoriae sacrum Dominici nomine constituerunt*). Postmodum autem alii sensim festi dies ad recolenda redemptionis mysteria et facta; tum in

*) 1-ae Ad Cor. XVI. v. 2. Act. XX. v. 7. Apoc. 1. v. 10.

honorem Dei genitricis Mariae et sanctorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum et Confessorum sacraei instituti sunt.

§ 141. Divisio Festorum.

Dies festi sunt alii mobiles, alii immobiles; inter mobiles referuntur princeps dies festus Paschae, Ascensionis Domini, Pentecostes, qui non eodem die recurrente celebrantur; et a die paschatis dependent: immobiles autem sunt, qui semper eodem die recurrente celebrantur, sicut Nativitatis Domini semper 25-a Decembris, Circumcisionis Domini 1-a Januarii, Epiphaniae 6-a Januarii etcet. Dividuntur etiam dies festi in festa fori, quibus simul a laboribus servilibus cessatur, ut sunt dies Dominici per totum annum, item principalia festa Nativitatis, Epiphaniae etcet. In festis autem Chori a laboribus servilibus obligative non abstinetur, sed cultus divinus tantum persolvitur.

§ 142. Dies festi in Ecclesia Orientali.

Annus ecclesiasticus in Ecclesia Orientali incipit a prima Septembris; suntque festa fori:
 Nativitas B. Mariae Virginis 8. Septembris.
 Exaltatio sanctae crucis 14. Septembris.
 S. Martyris Demetrii 26. Octobris.
 Archangelorum Michaelis et Gabrielis 8. Novembris.
 Praesentationis Beatae Mariae Virginis 21. Novembris.
 Nicolai Episcopi Myrensis 6. Decembris.
 Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virg. 9. Decembr.
 Nativitatis Domini 25. et 26. Decembris.
 Protomartyris Stephani 27. Decembris.

Circumcisionis Domini 1. Januarii.
 Epiphaniae Domini 6. Januarii.
 Trium Episcoporum Basilii, Chrysostomi et Gregorii die 30. Januarii.
 Purificationis B. Mariae Virg. 2. Februarii.
 Annunciationis B. Mariae Virg. 25. Martii.
 Paschatis et Pentecostes dies secundus, item Ascensionis suo tempore cum omnibus diebus Dominicis per totum annum.
 Magni Martyris Georgii 23. Aprilis.
 Nativitatis S. Joannis Baptistae 24. Junii.
 SS. Apostolorum Petri et Pauli 29. Junii.
 Prophetae Eliae 20. Julii.
 Transfigurationis Domini 6. Augusti.
 Obdormitionis seu Assumptionis B. Mariae Virg. 15. Aug.
 Decolationis S. Joannis Baptistae 29. Augusti.

Festa Chori Ecclesiae Orientalis:

Mense Septembri:

26. Translationis Corporis S. Evangelistae Joannis.

Mense Octobri:

6. S. Apostoli Thomae.
 18. S. Apostoli et Evangelistae Lucae.
 23. S. Apostoli Jacobi.

Mense Novembri:

13. S. Joannis Chrysostomi.
 14. S. Apostoli Philippi.
 16. S. Apostoli et Evangelistae Matthaei.
 25. S. Catharinae Martyris.
 30. S. Apostoli Andreae.

Mense Decembri:

29. Festum 14,000 Infantum.

Mense Januario:

17. S. Antonii Magni.
18. S. Athanasii et Cyrilli Alexandrini.
20. S. Euthimii Magni.
27. S. Joannis Chrysostomi.

Mense Februario:

8. S. Martyris Theodori stratilat.
17. Magni Martyris Theodori Tyron.
24. Secunda inventio capitis S. Joannis baptistae.

Mense Martio:

9. Quadraginta Martyrum.

Mense Aprili:

25. Evangelistae Marci.
30. Apostoli Jacobi.

Mense Majo:

2. S. Athanasii.
8. Evangelistae Joannis.
21. Constantini et Helenae.
25. Tertia inventio capitis S. Joannis baptistae.

Mense Junio:

30. Omnium SS. Apostolorum.

Mense Julio:

22. S. Mariae Magdalenae.
25. Obdormitionis S. Annae.
27. Magni Martyris Pantelemonis.

Mense Augusto:

9. S. Apostoli Matthiae.

His accedunt in sensu Canonis SS. Apostolorum 64-i dies Sabbati per totum annum, quibus diebus Parochi, aut eorum vices gerentes saltem diebus Dominicis ac ceteris festis etiam suppressis, juxta novissimam Sedis Apostolicae declarationem tenentur Missae sacrificium pro commisso sibi populo offerre, nisi pro aliqua Provincia aliter ab apostolica Sede declaratum fuerit, praesertim pro festis suppressis.

§ 143. De tempore celebrandi Paschatis.

Juxta Canonem VII. SS. Apostolorum et Antiochenum I. vetitum est Pascha simul cum Judaeis celebrare, ideoque illud juxta decretum patrum Concilii Nicaeni I. post aequinoctium vernum et post plenilunium primum proxima die dominica celebrandum est. Quod tamen juxta Calendarium Julianum, quod Orientales adhuc retinent, illis ipsis confitentibus non semper observari potest; interdum enim Dominica prima post plenilunium aequinoctium vernale insequens, qua juxta Patrum Nicoenorum decretum celebrandum esset Pascha, est Dominica palmarum, ideoque in sequentem Dominicam transferri debet Pascha, quod decreto Nicaeno adversum est.

Pidalion, Nota ad supra citatum Canonem SS. Apostolorum, defectum hunc Calendarii Juliani recognoscit; nihilominus tamen damnat Latinos, imprimis Gregorium XIII. Pontificem Calendarii Juliani reformatorem eo scopo, ut Festum Paschatis suo tempore per Concilium Nicaenum praescripto celebrari possit; adstruendo, satius fuisse errorem prioris Calendarii tolerare, quam diversitatem temporis celebrandi Paschatis in Ecclesiam introducere, sicque scissionem in

Ecclesia christiana procurare. Damnare autem se ipsos, qui haec obijciunt, deberent, eo quod agnoscentes quod melius et perfectius est, illud tamen non amplectantur; idque ideo tantum, quia errorem Romanus Pontifex emendavit. Utrum igitur Romanus Pontifex, qui errorem confessum per adversarios quoque emendavit, sit auctor scissionis in Ecclesia, aut vero illi, qui agnito errore in eodem perseverant, sano cujusvis iudicio dijudicandum relinquitur.

§ 144. De vitiis Calendarii Juliani, quo Orientales utuntur.

Calendarium Julianum ab ethnico Julio Caesare sic compellatum dupplici vitio laborat, nam 1) tercentos sexaginta quinque dies et sex horas integras anno solari tribuit, cum tamen undecim circiter minuta istis horis desint; 2) decimo nono quovis anno redeunte, novilunia et plenilunia in eisdem dies et horas redire ponit, cum tamen novilunium sesqui hora citius redeat. Ideo 1582-o aequinoctium vernalis decem diebus, et luna decimaquarta primi mensis lunaris (Martii) quo Judaei pascha celebrabant, quatuor diebus citius contigerat, quam Calendarium Julianum monstrabat. Hinc vitia Calendarii hujus summus Pontifex Gregorius XIII. adhibitis eruditissimorum virorum consiliis 1582. in eo emendavit, ut tum aequinoctium vernalis, tum etiam aequinoctium paschale ad convenientes cum astrorum motu terminos revocatum, atque ita stabilitum sit, ut ab astronomicis rationibus notabiliter amplius deflectere non possit.

§ 145. Praecepta quoad celebrationem Festorum.

Duo observantia Festorum importat praecepta: aliud affirmativum cultus divini publice peragendi, negativum alterum cessandi a laboribus. Festi dies in pietatis operibus, non in negotiis saecularibus sunt transigendi, inquit Benedictus XIV.¹⁾ Festis diebus prohibetur praeter labores manuales etiam mercatus rerum venalium. Nundinae vero tolerantur sub certis conditionibus, nempe, ut ipsis diebus festis tempore nundinarum occurrentibus apothecae claudantur et religioni ac pietati opera detur²⁾. Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua vel vento, vel jumentis volvatur, seclusa consuetudine vel necessitate. Piscatio inter opera, die festo vetita etiam referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo, piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperioribus piscatoribus datum est ut operi illi incumbere possint, dummodo id non praestent die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes³⁾.

Dies festi non sunt aequae solemnes⁴⁾. Conceduntur opera servilia si urgeat vera et non affectata necessitas. Affectata autem illa diceretur, in qua opera, quae diebus praecedentibus fieri possunt, ad diem sacrum transfererentur. Petenda est tamen a superiore

¹⁾ Const. Ab eo tempore § 17.

²⁾ Idem, Const. Paternae caritatis § 105.

³⁾ Bened. XIV. De Synod. dioeces. L. 13. C. 10. § 10.

⁴⁾ Idem, Const. Ab eo tempore § 7.

facultas siquid insurgat necessitatis. Quamvis autem nulla dispensatio requiratur quando causa laborandi die festo est indubitata, semper tamen petenda est licentia a Superiore, quando publice laborandum est; cum ad eum, non ad quemcunque privatum hominem spectet iudicium ferre de veritate causae; nisi forte periculum esset in mora et grave inde damnum sequeretur¹⁾. Hanc vero facultatem (laborandi) dare solet Episcopus Parochis ruralibus in Ordine ad opera agrestia, qualia sunt: oneratio plaustrorum, collectio frugum et fructuum, herbam secare, colligere foenum, quando periculum imminet tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in civitatem, nec posset commode id differri²⁾. Diebus festis iudicia non celebrantur.

§ 146. De tempore jejunii Ecclesiae Orientalis.

Jejunium secundum etymologiam nominis dictum est a jejuniō intestino quodam animalis, quod semper vacuum et subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum, et consequenter non pingvem sed macrum et subtilem reddat.³⁾ Est autem jejunium vel spirituale, abstinentia a vitiis et illicitis voluptatibus dicente S. Augustino: „Jejunium autem magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus, et ab illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum jejunium.“ Vel est jejunium naturale, seu abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, etiam per modum

¹⁾ Congr. Con. 12. Apr. 1597.

²⁾ Idem, apud Schöpf Tom. 4. pag. 270.

³⁾ Schöpf Kirchenrecht Tom. 4. pag. 274.

medicinae in stomachum transmissa^o, quale jejunium a tempore mediae noctis requiritur de praecepto ecclesiastico ad sumtionem Eucharistiae. Est etiam jejunium morale ac philosophicum dictum quod est actus temperantiae moderantis appetitum, et usum cibi ac potus secundum regulam rectae rationis, cujus velut partes sunt abstinentia et sobrietas; abstinentia enim moderatur affectum et usum ciborum; sobrietas autem moderatur effectum et usum potus potentis inebriare. Denique jejunium ecclesiasticum est abstinentia a carnibus, et quibusdam aliis cibis ab Ecclesia imperata, cum unica refectione tempore designato sumenda. Hinc ad jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur: scilicet abstinentia ciborum certi generis, abstinentia plurium refectionum, et certa hora refectionis, tale jejunium est quadragesimale, item feria quarta et sexta hebdomadis, de quo Canon XIX. Concilii Nicaeni I-i decrevit: „Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschae quadragesimam non jejunat, vel quartam diem (Mercuri) vel parascheven (Veneris) praeterquam si propter imbecilitatem corporalem impediatur, deponatur; si sit autem Laicus segregetur.“ Juxta hunc ergo canonem hoc unicum esset in Ecclesia Orientali jejunium, prout adnotat Balsamon ad hunc canonem inquiring: „Juxta hunc canonem proprie unum esse tantum jejunium quadragesimale Paschae; si enim essent et alia, eorum canon quoque meminisset. Sed et si aliis jejunii diebus scilicet SS. Apostolorum Petri et Pauli, dormitionis Sanctissimae Deiparae, et Natalis Christi jejunaverimus, pudore non afficiemur.“ Hinc praeter jejunium Quadragesimale, item feriam quartam et sextam consveta adhuc

sunt in Ecclesia Orientali jejunia: Nativitatis Domini a die Apostoli Philippi seu 16. Novembris usque 25-am Decembris seu Nativitatis; item SS. Apostolorum Petri et Pauli, a feria secunda post Dominicam primam post Pentecosten usque festum Apostolorum; Obdormitionis item B. Mariae Virginis a 1-a Augusti usque 15-am ejusdem; porro dies exaltationis sanctae crucis, et decolationis S. Joannis bapfistae.

§ 147. De modo jejunandi in Ecclesia Orientali.

Graeci etiam distingvunt inter abstinentiam et strictum jejunium, et inter dies abstinentiales et jejunales; abstinentiales sunt v. g. dies Sabbati et Domini per totam quadragesimam excepto Sabbato sancto paschae, qui stricte jejunalis est. Diebus abstinentiae, abstinendum est quidem a cibis carnalibus et vetitis, sed comestio toties quoties admissa est; diebus stricte jejunatibus unica per diem refectio, et quidem determinato tempore, non ante horam nonam seu tertiam pomeridianam, cum abstinentia a cibis vetitis praescribitur; imo in parasceve Paschae seu die magno Veneris refectio usque occasum solis est differenda. Abstinent autem orientales non modo a carnibus, sed et lacticiis, ovis, imo et piscibus imprimis in jejunio Quadragesimae et obdormitionis B. Mariae Virginis. Excipiuntur autem per Canonem aegri, hi enim ut notat Balsamon si per pisces jejunium solvant, eis venia datur, per carnem autem non solvet quisquam etiamsi extremum spiritum agat. Zonaras autem adnotat: Dispensantur a jejunio, qui ob imbecillitatem corporis jejunare non possunt. Nam jejunium fuit introductum ad humiliationem carnis; quod si autem

caro morbo, vel alia aliqua infirmitate laboret, illa ex jejunio humiliatio necessaria non est.

Ohservat Pidalion ad Canonem LXVI. SS. Apostolorum, quod si quidem diebus Mercuri et Veneris ita jejunandum sit, sicut diebus quadragesimae, in hac autem juxta Caconem LII. Laodicenum vetitum est nuptias celebrare, ita etiam diebus Mercuri et Veneris; insuper quod conjuges quemadmodum in quadragesima, ita diebus Mercuri et Veneris abstinere debeant ab usu matrimonii, juxta Prophetam Joel. C. 2. „Sanctificate jejunium, praedicate sanationem, exeat vir de talamo suo, et uxor de camera sua.“ S. Joannes Chysostomus de fervore Christianorum circa jejunium in Libro de virginitate sic scribit: „Aemulantur inquit, inter se, ut alii duabus diebus nihil manducent, alii autem ab omnibus cibis abstineant et vino, pane solum et aqua contenti per totum jejunium.“

§ 148. Sollicitudo S. Sedis Apostolicae in custodienda jejunii Orientalis Ecclesiae disciplina.

De sollicitudine S. Sedis Apostolicae ad disciplinam Ecclesiae Orientalis circa jejunia tenendam et conservandam Benedictus XIV. in sua Encyclica Nro. 47-a sequentia tradit: „Aptissimus inquit, hic fieret „locus disserendi de vetustate jejunii apud Orientales, „ejusque lege licet severiori exactissime tamen semper servata, sed ne longiores simus quam par est, „id unicum dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem jejunii „suis subditis praescripti relaxare voluerunt. Petrus „Maronitarum Patriarcha, Archi-Episcopis et Episcopis sibi subditis, carnibus vesci laicorum more induisit, licet juxta veterem disciplinam carnibus ab-

„stinerent: universo autem populo, quadragesimae
 „tempore pisces edere, vinumque libere permisit,
 „quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Pau-
 „lus V. datis ad Patriarcham Petri successorem Li-
 „teris Apostolicis in forma Brevis, die 9-a Martii
 „1610. jussit, ut abrogatis illis, quae Petrus Patriar-
 „cha concesserat, res in pristinum statum restitue-
 „retur. In Pontificatu nostro autem ad examen re-
 „vocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii
 „Archi-Episcopi Syri et Sidonis, et Cyrilli Patriarchae
 „Antiocheni erga Graecos Melchitas, fuitque impro-
 „bata; ut patet e constitutione nostra „Demandatam,
 „87. § 6. Bullarii nostri Tomo I. Nos hujusmodi in-
 „novationem, et abstinentiarum relaxationem, et co-
 „arctationem in nimium detrimentum veteris Graecarum
 „Ecclesiarum disciplinae vergere judicantes, licet alio-
 „quin deficiente auctoritate Apostolicae Sedis nullius
 „roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate
 „nostra expresse revocamus, et nullum effectum im-
 „posterum habere, neque ullatenus executioni man-
 „dari, sed omnia in pristinum restitui debere jube-
 „mus, atque insuper in toto tractu Patriarchatus
 „Antiocheni, laudabilem consuetudinem a Majoribus
 „derivatam, abstinendi etiam qualibet feria quarta et
 „sexta ab esu carniū, quae etiam ab aliis finitimis
 „populis ejusdem graeci ritus exacte custoditur, indi-
 „stincte servari praecipimus. Incongruum autem est
 „asserere dispensationem concedendam esse, vel po-
 „tius dispensandi generalem facultatem, quod nempe
 „Orientales, aspicientes Latinos vesci piscibus tempore
 „jejunii exinde facile adducantur, ut ipsi non quidem
 „ex aliquo contemptu, sed naturae fragilitate ducti
 „piscibus diebus jejunii utantur: hoc namque argu-

„mento si quid illud valeret imprimis omnimoda in-
 „duceretur Rituū confusio; deinde si illius ratio ha-
 „beretur, illud etiam consequeretur, ut Latini in-
 „spicientes Graecos peculiaribus vivere institutis quae
 „Latinis minime permittuntur, imo inhihentur, (prout
 „Conjugium) dispensationem petere possent, ut sibi
 „liceret ea facere, quae a Graecis fieri intuentur,
 „profitentes se latinum quidem ritum suscipere, sed
 „ob naturae fragilitatem eum diutius servare non
 „posse.

§ 149. De Locis sacratis.

Nomine locorum sacratorum, vel sacrorum ve-
 niunt loca publico cultui divino destinata, uti Ec-
 clesiae, capellae, item loca pro scopo religioso be-
 nedicta, uti coemeteria, in quibus Christiani ritu sa-
 cro inhumantur.

§ 150. De exstructione Ecclesiarum.

Ecclesiarum exstructio licita est 1) nonnisi ex
 justa causa, ad promovendam pietatem, et ob gra-
 vem rationem qualis est distantia aliarum ecclesiarum
 et populi frequentia. 2) Cum auctoritate legitimi
 superioris seu Episcopi, qui causam exstructionis
 cognoscat, eos de quorum praesudicio agitur audiat*)
 ac an locus congruus sit decernat, fiatque etiam
 cum scitu civilis potestatis et servatis de lege ser-
 vandis, denique 3) assecurata sufficienti dote perpe-
 tua ad alendos clericos, ad sarta tecta conservanda,
 ad ecclesiam decenter ornandam et instruendam.

*) Concil Chalced. C. 24.

Quocirca Ecclesiam dote destitutam consecrare canones vetant.¹⁾ Exstruuntur autem ecclesiae cum altari versus orientem, plerumque in forma crucis.

§ 151. De coemeteriis.

Ad loca sacrata spectant etiam coemeteria per benedictionem ad sepeliendos in iis ecclesiae fideles dicata. Coemeterium autem graece significat idem ac latine dormitorium, eo quia ibi requiescunt corpora Christi fidelium, qui ratione fidei infallibilis finaliter resurgendi, non tam mortui ibi jacere, quam dormire dicuntur, (Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut excitem eum Ioan. 11. v. 11). Hinc S. Hieronymus inquit: eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos. — Coemeteria debent esse cinctura provisa, erecta in iis cruce benedicta; procuratio cincturae et conservatio incumbit communitati confessionali. Constituuntur autem coemeteria extra urbem vel vicum, ne exhalationes corporum mortuorum viventium valetudini noxia evadant; — jam Theodosius Imperator praescripserat; omnia quae supra terram urnis clausa, vel sarcophagis corpora detinentur extra urbem delata ponantur.²⁾ Ideo autem secus viam constituuntur coemeteria, ut mortui quasi praetereuntes monerent se fuisse, et illos esse mortales.

§ 152. De sepultura ecclesiastica.

Nomen sepulturae vel sumitur pro jure in humationis in coemeterio, vel pro ritu seu officio se-

¹⁾ Can. 9. dist. 1. de consecr. c. 8. de consecr. Eccl.

²⁾ Cod. Theod. nov. de sepuler. C. 6.

pulturae. Sepultura ecclesiastica privantur a) non baptisati, quo spectant etiam catechumeni, et proles christianorum ante baptismum decedentes; si vero dubium sit num sint baptisatae, non sunt privandae ecclesiastica sepultura, sicut nec catechumeni illi, qui iam in religione christiana debite instructi sunt et desiderium baptismi suscipiendi fovent, qui per baptismum flaminis Ecclesiae adcorporati sunt.*) b) Haeretici, quibus tamen in casum si proprio coemeterio careant, tantum ritus sepulturae denegatur; inhumantur autem in loco coemeterii segregato. c) Notorie excommunicati, nisi in articulo mortis signa poenitentiae dederint, et Ecclesiae reconciliati sint. d) Publici et minifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel idoneam praestiterint de restituendo cautionem. e) In duello mortui. f) Qui per annum integrum non confitentur, et tempore paschali sacram synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio sacerdotis prorogassent. g) Suspensi-impoenitentes, et omnes qui in publice notorio et certo peccato mortali absque poenitentia decedunt, et qui in actuali furto et rapina, fornicatione, adulterio et hujusmodi occiduntur. h) suicidae, hi in coemeterio quidem, sed absque ritu ecclesiastico inhumantur. Denique a iudicio saeculari dictatam poenam mortis subeuntes nec in coemeterio nec ritu ecclesiastico inhumantur.

Nota. Honore sepulturae carere Romanis gravissimae poenae erat genus, qua ceu maxime ignominiosa christiani a persecutoribus saepe sunt affecti. Ecclesia christiana nemini quidem inhumationem, sed quibusdam ecclesiasticum sepul-

*) Innocentius III. C. Debitum de Bapt.

turae ritum tantum, aliis autem etiam inhumationem in coemeterio denegat. 2) Negatae hujus sepulturae poena non semper est latae sententiae, sed aliquando etiam ferendae sententiae poena, qualis est, quae in negligentes communionem paschalem fertur, ideoque parochus eam propria auctoritate, aut ante sententiam Episcopi exequi nequit. Semper igitur, quandoque dubium occurrit consulendus est Episcopus, qui in dubio sententiam enunciandam habet, quae si adexspectari nequeat, in dubio favendum est defuncto. Frequentius dubium occurrit quoad autochiros, seu suicidas, quoad quos ordinationibus altioribus praescriptum est, ut in quolibet casu mixta commissio ecclesiastico-civilis casum suicidii examinet, iudicium tamen ecclesiastica auctoritas enunciet.*)

§ 153. Jus sepulturae.

Jus sepeliendi ecclesiastice habet parochus loci illius, in cujus parochiae ambitu quis moritur. Si quis autem alibi sepeliri eligat, mortuarium parochi, ad quem de jure sepultura spectat, pendit debet.

§ 154. Ritus funcbralis Ecclesiae Orientalis.

Consuetudo est, ut corpus defuncti perfundatur oleo aqua mixto; prohibitum autem est juxta Notam ad Canonem XXV. Chartaginensem affundere sacrum Chrisma corpori defuncti etiamsi Presbyter aut Episcopus esset. Comitandi autem sunt christiani ad sepulchrum cum psalmis, cantu et accensis caereis ad contestandam fidem quod defuncti in lumine vitae aeternae constituentur. Sine facultate Episcopi vetitum est corpus defuncti exhumare, et ad aliud sepulchrum transferre. Quoad exequias praescribit ca-

*) Confer Schenkl. Tom. II. Jur. Eccl. pag. 563.

non Apostolorum Petri et Pauli XIV.: „Exequiae mortuorum fiant tertio die, propter eum qui tertio die a mortuis suscitatus est, et die nono, ad recordationem eorum qui sunt superstites, et eorum qui defuncti sunt; et quadragesima, sicut et populus Judaicus Mosem flevit, et exacto anno ex bonis eorum suppeditetur pauperibus ad recordationem eorum. Impium autem, addit canon, licet totus mundus pro eo detur, non juvabis.*)

§ 155. Suppellex sacra.

Ad sacram suppellectilem spectant a) Vasa sacra ad oblationem sanctissimi sacrificii adhiberi solita, ut sunt calix, patena, stella, quae omnia ex metallo confecta esse debent; his accedunt pyxis, pro conservando et deferendo, viatico moribundorum, dein vasa pariter e metallo, in quibus sacrum oleum et chrisma asservantur. b) Imagines sacrae fidei mysteria et sanctos repraesentantes, quarum Orientales maximi cultores sunt. c) Vestes sacrae, quibus sacerorum ministri cum munia sua obeunt induuntur. d) Campanae, seu nolae ad populum in ecclesias congregandum, atque ad orationem excitandum, quae omnia praescripto ritu sacrantur.

*) Apud Bevereg. Tom. II.

S E C T I O III.

DE JUDICIIS, DELICTIS, ET POENIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

§ 156. De Judicio ecclesiastico generatim.

In Ecclesia christiana sacrum datur imperium, quod prout potestate legislativa, ita judiciaria et executiva gaudet, ejusque jurisdictio respicit personas ecclesiasticas, et sacras. Jurisdictio alia est contentiosa et necessaria, quae inter contendentes circa causas controversas exercetur, redditurque in invitos; dicitur contentiosa, quia actor contendit contra reum; dicitur necessaria, quia reus in iudicium vocatus tenetur ibi respondere et redditur in invitos. Altera autem est voluntaria, quae in solos subditos volentes, in iis negotiis, in quibus consensus vel confirmatio iudicis requiritur, exercetur. Quandoque tamen jurisdictio voluntaria assumit naturam contentiosae, et reducitur ad contentiosam, quando scilicet non nisi cum causae cognitione exerceri potest. Jurisdictio contentiosa iterum distinguitur in criminalem, quae exercetur in delicta graviora seu crimina et ob vindictam publicam, et civilem, quae exercetur in alias causas aut in delicta quoque minora ob privatam solum

satisfactionem. Quoad jurisdictionem civilem porro distinguendum est iudicium „possessorium,“ in quo agitur de adipiscenda possessione, retinenda vel recuperanda, et an possideat quis vel non, incolumi adhuc et indecisa quaestione dominii vel proprietatis, et „petitorum,“ in quo de proprietate vel dominio rei aut de jure aliquo disceptatur; puta eligendi vel nominandi ad beneficium. In petitorio ageret, qui actionem directe formaret de validitate contracti matrimonii, in possessorio autem, dum, seposita de valore matrimonii quaestione, solum probaretur, matrimonium fuisse contractum, adeoque fuisse in possessione hujus juris, de qua non poterat jure dejici, ac proinde petit restitutionem ejus in integrum.¹⁾

§ 157. De Judice ordinario et delegato.

Judex ecclesiasticus ordinarius est Episcopus, vel ejus Vicarius et causarum auditor generalis, cujus persona cum Episcopi quoad iudicium identica est, ideo a iudicio Vicarii ad Episcopum non datur appellata. Superior iudex ordinarius est Metropolitae provinciae ecclesiasticae, et supremus iudex summus Pontifex; ideo dicitur forum primae instantiae Episcopi, secundae instantiae appellatorium primum Metropolitanum, et supremum appellatorium Pontificium. S. Sedes Apostolica ad revisionem causarum solet delegare Judices, qui Judices delegati vocantur.²⁾

§ 158. De Judice compromisso.

Judex compromissus est, in quem partes compromittunt, sive quem partes voluntarie eligunt, cu-

¹⁾ Conf. Kutschker Eherecht Tom. V. pag. 438.

²⁾ Van Espen Part. III. Tit. V. II.

jus sententiae partes absque appellata acquiescere obligantur,*) qualis compromissus Judex juxta § 64. Legis Austriacae matrimonialis de. 8. oct. 1856. Judex ecclesiasticus, etiam quoad accidentalia Matrimonii eligi potest.

§ 159. De Tribunali ecclesiastico.

Tribunal ecclesiasticum est consessus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis cum Consiliariis Assessoribus et Notario Tribunalis ad causas jurisdictioni ecclesiasticae obnoxias cognoscendas, discutiendas, et judicandas.

§ 160. Personae ad Judicium requisitae.

Ad judicium requiruntur 1) Judex sic dictus, quasi jus dicens, sive quod jure disceptet. Jure autem disceptare est juste judicare. Non est ergo Judex, si non est in eo justitia. 2) Actor, qui jus suum in judicio prosequitur, seu agit, vocatur etiam Accusator, quasi causator, qui ad causam vocat. Actor vel Accusator potest esse omnis, qui natura, aut lege speciali non prohibetur; sic prohibiti sunt ab accusatione excommunicati, minores, exceptis causis matrimonialibus modo 14-tum aetatis annum egressi sint, feminae quoque agere, idest actores esse possunt. 3) Reus, qui est omnis illa persona, contra quam aliquis quovis jure, ratione et praetextu quarumcunque rerum, factorum et dictorum agit. Unde recte dicitur a re, quod alicui hujusmodi rei obnoxius sit. Incattus autem ab eo dicitur, quod in causam attrahatur.

*) Van Espen Part. III. Tit. Cap. IV.

Reus potest esse omnis etiam excommunicatus, minores item et faeminae, quae tamen nisi in causis jure expressis ut sunt matrimoniales, per se ipsas in judicio stare debent. 4) Testes, causa enim aut argumento aut probatione, quae per testes fit, constat. Argumentum autem nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed sola investigatione invenit veritatem, unde dictum est argumentum, quasi argute inventum.

§ 161. De Advocatis.

Praeter Actorem, Reum et testes in judicio saepe adesse solent Advocati, qui pro aliis in judicio postulant, seu jura aliis suggerunt, et ad controversae causae disceptationem pertinentia exponunt. Sunt autem Advocati viri jurium periti, consequenter non solum in jure civili sed et canonico versati. Ab agendo in foro ecclesiastico vetantur Haeretici, Excommunicati, Infames, aliiquae ad officium inepti. Ut autem Advocatus agere possit, debet habere constitutionem procuratoriam ab eo, cujus causam agit. Ceterum etsi causam suam quilibet per Advocatum proponere regulariter queat, imo interdum partibus Advocati ex officio dentur, exceptis causis matrimonialibus, partes tamen coram judicio citatae per se ipsas comparere tenentur.

§ 162. De Fisco consistoriali, seu Tribunalis ecclesiastici.

Quod in Tribunalibus civilibus est Status-Procurator, vel Fiscus Regius, idem est in Tribunali ecclesiastico Fiscus consistorialis, alias Fiscus pro-